

De 3613

S

A

R E

M

P

O m

A B I

S y

K

A p u



ex amq.
S A P I E N T I S S I M I ^{1664/1667}
PATRIS NOSTRI
ANTONII MAGNI
A B B A T I S.

REGVLÆ, SERMONES, DOCV-
MENTA, ADMONITIONES, RES-
PONSES, ET VITA DVPLEX.

Omnia nunc primum ex Arabica lin-
gua Latinè redditæ

A B

ABRAHAMO ECCHELLENSI Maronita,
Syriace & Arabica lingue Christianissimi
Regis Interpretæ, ac earundem in Acadé-
mia Parisiensi Professore.



P A R I S I I S,

Apud ADRIANVM TAVPINART, viâ
Iacobæâ, sub signo Sphæræ.

M. D C. XLVI.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

NI

I

P

M

G



tian
coll
cole
por
me
Qu
om
huc
lisq
per
ing
sim



ILLVSTRISSIMO D.D.
NICOLAO DE BAILLEV
IN SVPREMO SENATV
PRÆSIDI, REGII ÆRARI^I SVM
MO PRÆFECTO, AC REGINÆ RE
GENTIS CANCELLARIO.

SI HOMINI grati animi,
vir illustrissime, id incum
bit muneris, ut meritam
benefico rependat gra
tiam; certè pro tot, ac tantis tuis in me
collatis officiis, ac beneficiis, nulla re
colendi à me prætermitti debet op
portunitas, quando nulla de me bene
merendi à te prætermittitur occasio.
Quin vnu^s ego hoc tibi nomine sum
omnium deuinctissimus, vt quem ad
huc etiam tibi de facie ignotum, nul
lisque commendatum meritis, in tuam
perhumaniter suscepereis tutelam, ac
ingentibus his tuis beneficiis liberalis
simè cumulaueris. Cùm igitur benè
A iij

EPISTOLA.

sciam, nullam tibi me referre posse
gratiam parem, aut meritam, illud sal-
tem romanæ eloquentiæ parentis mihi
suffragari, patiaris, rogo: *Cum gratia*
tanta referri non potest, quanta debetur, ha-
benda tanta est, quam maximam animus ca-
pere possit. Itaque huius, quam animus
fouet, referendæ gratiæ maxima vo-
luntas, si pro dignitate verbis aut factis
exprimi non potest, sed has egregias
tuas virtutes, quæ te omnibus conspi-
cuum, singulis spectabilem reddunt,
ac animum illum formæ parem, silen-
tio veneratur, non perinde ingrati ani-
mi vitij insimulanda est. Quia quomodo
disertus etiam est qui tacet, auctore Seneca,
ita gratus est etiam, qui vult tantum, nec ha-
bet huius voluntatis ullum alium, quam se te-
stem. Sed quid? num mihi testis vber-
rimus esse non possit vir ille clarissi-
mus Franciscus Clement verè à cle-
mentia dictus, Christianissimo Regi,
augustissimæque Reginæ à consiliis, &



EPISTOLA.

in suprema vestigialium curia Senator, qui generoso sane animo res meas non solum apud te, vir illustrissime, sed apud omnes semper promouit? Quod cum ita sit, & huius officij pars aliqua persolui existimatur, dum acceptum beneficium aeternae infigitur memorie, ut eidem Senecæ placet, certè tua beneficia

Hæc mihi semper erunt imis infixæ medullis.

Verùm hanc grati animi voluntatem, hanc cordi infixam beneficiorum memoriam, cùm iamdiu conspectui tuo sese sistere vacuas pudeat, hunc libellum tibi exhibent supplices, non ad soluendum debitum, sed fatendum, & hac confessione sese obstringendum magis. Per exiguum quidem munus, nisi magni Antonij nomine, magnaque tua pietate illud magnum esse velis. Interim literatorum omnium Mecœnas, & omnis pietatis decus hoc quale quale sit, serenâ, quâ

ā iiiij



E P I S T O L A.

cuncta amplecti soles, ut excipias fron-
te enixe rogo, ac tuo me patrocinio
complectere perge, dum ego in alter-
num tuus esse profiteor.

Humillimus & obsequentissimus
seruus

A B R A H A M V S E C C H E L L E N S I S.

AD HVMANISSIMVM
LECTOREM.

EDIDERAM ante quadrennium, huma-
nisime Lector, sanctissimi Antonij magni
Abbatis epistolas viginti, quas pietate, & pur-
purā Eminentissimo Cardinali FRANCISCO
BARBERINO nuncupaueram, promiseram-
que simul, me cetera eiusdem beati Patris opus-
cula breui editurum. Verū occupationes variae,
& impedimenta, quin promissis citius stetisse,
me distulerunt. At non sine fænore hæc mora-
fuit, & fidem nunc libero meam, cùm preter
sermones de virtutibus, & vitiis, spiritualia do-
cumenta, & admonitiones, seu consilia, demus
quoque expositiones quarundam beatisentientia-
rum, à quodam seniore Abate paulò post eius
obitum factas, efflagitantibus Monachis. Item
eiusdem sancti Antonij responsiones ad diuerso-
rum Monachorum, & fratrum interrogata, ac
omnia ea que de ipso relata comperimus in eo-
dem codice Collegij Maronitarum de Urbe ex
quo Epistolas quoque descripsimus.

De Regulis hic admonitus te esse volumus,
optime Lector, nos scilicet duplex habuisse illa-
rum exemplarū; unum ex quo Epistolas, ac reliqua
aceperimus, ut dictum est: alterum in quo regu-



P R A E F A T I O.

la tantum continebantur, quod etiam collegij Maronitarum de Vrbe est. Primi exemplaris versionem, que correctior videbatur, commoda-nimus clarissimo, atque doctissimo viro D. Luce Holstenio Eminentissimi Cardinalis Barberini Bibliothecario, & sancti Petri in Vaticano dignissimo Canonico, hinc postremi exemplaris versionem edere coacti sumus, quamquam hac ad calcem amplior sit. Quaedam etiam ex his opus-culis habuit vir doctrinâ ac pietate insignis, amantisimus literatorum, & Patrum priscorum lectionum studiosissimus, & indefessus indaga-tor Ioannes Baptista Marus, Presbyter Romanus, & sancti Angeli in foro psicum Canonicus; sed haec omnia ante postremam manum, quare si quid in utraque editione compereris discrimen, optime Lector, id ultimæ adscribas correctioni.

His præterea accessit illius vitæ Epitome du-plex: primam decerpsumus ex peruetusto codice inscripto: Clavis ianuæ Paradisi de gestis Monachorum, quem ex oriente nuper Ro-mam attulit, & Sancti Petri Montis aurei Biblio-thecæ inscripsit catalogo, admodum R. P. An-dreas Arcuensis ordinis S. Francisci strictioris obseruantie, olim Guardianus Ierosolymorum, nunc vero Terræ sanctæ commissarius. Alteram ex Martyrologio descripsimus Aegyptio, quod in Collegij Maronitarum de Vrbe Bibliotheca affer-



P R A E F A T I O .

uatur; Huic adiecimus quoque ea quæ habentur de sanctissimo Antonio in Martyrologio Ecclesiae Maronitarum. Ad calcem demum totius operis ex Codice sancti Petri montis aurei modum apposuimus, quo verè sancteque Monacho psallen-dum, & orandum est.

Versioni fidelissimæ omnem collocavimus ope-ram, potiusque duximus nos insimulari quando-que barbariei, quam infidelitatis. Quorundam versiones non damno, sed nec laudo; quia dum sua eloquentia, & leporibus student, sepe suum deserunt Auctorem, & eius tantum nomine garriunt. Quomodo Antonij dicendæ sunt, so-des, illæ epistole in gallicam linguam ex nostra latina editione versæ, si omnia ferè aut dempta, aut addita, aut permutata sunt? Et quod magis dolendum est, imò nullo modo ferendum, ipsas Scripturarum sacrarum auctoritates, & testimo-nia, quæ satis appositiæ ad suum argumentum probandum adduxerat sanctissimus Pater, su-stulit interpres ille, quisquis fuit, & reecit tamquam inepta, superstua, & ad rem non facientia.

Sed dicet hic aliquis: Vnde probatur has re-gulas, hos sermones, hac documenta, ac reliqua id genus, que affers, esse sancti Antonij?

Respondeo, nullis rationibus, nullis auctorita-bus, nullisque testimoniis id comprobari posse,



P R A E F A T I O.

& ex antiquitatis erui tenebris , nisi solis traditionibus omnium Orientis Monachorum , & uniuersali consensu : præsertim cum sint variarum sectarum & persuasionis quoad religionem , uti sunt Melchite , Iacobite , Nestoriani , Cophite , Aethiopes , Maronite , ac similes , quorum omnium concursus ad configendum aliquid commune impossibilis esse videtur .

Sed rursus is obiicit : Hos omnes Monachos vni esse subiectos Abbati Aethiopi , qui in monte Sion degit , quidam Ioannes Baltasar Abissinus cap. 20. libri de fundatione , vita , & regula magni Ordinis militaris , & Monastici equitum religiosorum gloriosi sancti Patris Antonij in Aethiopia , scribit his ipsissimis verbis : De Abbatे montis Sion in Asia , sub cuius obedientia sunt omnes religiosi sancti Antonij Orientis , ut sunt Maronitæ , Iacobitæ , Georgiani , Armeni , & aliæ Nationes .

Deus bone , ac immortalis ! quæ mendacia , quæ somnia , quæ commenta eo in libello sub nomine miseri eius Aethiopis conficto , non continentur ? Quis enim cordatus , & mentis compos huius assertionis pingue crassumque mendacium facile ex eo non deprehendet ? siquidem cum Orientales Nationes , quotquot sunt , acerrimas inter se exerceant inimicitias religionis causâ ,

PRÆFATIO.

& in sectas varias sint dissecta, ac singule alias
ut hæreticas habeant, & damnent, quomodo fieri potest, ut earum Monachi Abbatii alterius se-
ctæ, & persuasionis obedientiæ Maronitæ, qui
sunt Catholici Romani, bedient ne Abbatii Mo-
nophysitæ, cuius vel conuersationem, & collo-
quium fugiunt? Græci mortalium superbissimi
obedientiam prestabunt nigerrimo Abbatii, quem
hereticum, & barbarum habent? Inter infinita
mendacia contra apertam veritatem, illud haud
postremum est, quod inserit cap. 8. nempe Mo-
nachos sancti Antonij comedere carnes exceptis
feriâ 4. 6. & 7. in quibus Monachi illi solis
piscibus, & lacticiniis vescuntur. Quia in asser-
tione tria committuntur meudacia: primò enim
Monachis sancti Antonij perpetuò eſus carnium
est interdictus, vti habetur regulâ XX. Carnes
ne comedas omnino. Secundò Aethiopes, ac
reliqui Orientales non solum Monachi, sed laici
omnes quando abſtinent à carnibus, abſtinent quo-
que à lacticiniis. Tertiò omnes relate nationes
nunquam ieunant die Sabbati nisi uno excepto,
qui diem precedit Paschatis, de quo intelligendi
sunt canones 66. Apostolorum, & 55. sextæ Syno-
di generalis. Monachis expreſſe ieunium Sabbati
interdictur regula III. Idem affirmat cap. 22. &
alibi ſapiens, omnes Monachos, ſeu religiosos sancti
Antonij ubigentium literam T colore caruleo in



P R A E F A T I O.

habitu gerere. Quod sanè falsoſſimum eſt, vel de Aethiopibus loquamur, vel de aliis Orientalibus. Etenim, quamquam horum omnium longā ſem familiaritate, & conuerſatione uſus, nunquam tale vidi ſignum iþorum impressum habitibus, ſi Abbates excipias, qui pallium gerunt Monasticum hoc decoratum ſigno, quod iþis ſolis proprium eſt, eiusdemque forme gerunt baculum. Omnia in eptiſſimum eſt, quod cap. 3. huius ſigni celebrans virtutes dicit his verbis: Tam in ſacris Scripturis, quam in profanis historicis hæc litera (nempe T.) Denotat numerum 300. qui eſt numerus ſalutaris, & Symbolum fan- diſſimæ Trinitatis. Ecquis neſcit, ut iſ impo- nere audeat, literam. T. tam in ſcripturis, quam apud quoscumque scriptores denotare numerum 400. non autem 300? Apage igitur tam puti- dum commentum ab aliquo confictum Hispano, nam prius Hispanicè, tūm Gallicè editum eſt. Apage ordinem illum militarem ementitum, qui nusquam in rerum extat natura.

Interea tu optime Lector noſtris hiſce labori- bus, & lucubrationibus fruere, & hilari exci- pe fronte: ſed preſertim vos religioſiſimi viri, qui ſacratiſſimi huius ordinis inſignia circumfer- zis, explicatis vexilla, & nanale colitis ſub Chri- ſtianissimi regis auſpiciis & pietate, in cuius au- gustiſſima Monarchia veſtri Ordinis Principa-



P R A E F A T I O .

tus sceptrum tenet sub regimine Reuerendissimi
simul ac Religiosissimi viri IOANNIS RASSE
Sanctissimi Antonij instituti sub regula S. Au-
gustini militantis per totum orbem Abbatis Ge-
neralis , cuius morum integritatem , cuius vite
sanctimoniam , cuius religiosam conuersationem
tot virorum virtutibus insignium & pietate nuper
in generalibus comitiis testata sunt vota. Acci-
pe igitur vir Religiosissime una cum toto ordine
vestro has Sanctissimi Patris vestri Antonij re-
gulas , sermones , documenta , ac cetera opuscu-
la , quæ iure ad vos quoque tamquam heredes spe-
ctant , & mei sint animitam erga sanctissimum
Antonium , quam erga vestrum ordinem æternum
monumentum. In Christo felices valete.



Extrait du Priuilege du Roy.

PAr Grace & Priuilege du Roy du onziesme
Juillet 1646. il est permis au sieur ABRAHAM
ECCHELLENSIS du Mont Liban, Interprete de sa Majesté, & Professeur éslangues Arabe
& Syriaque en l'Vniuersité de Paris, de faire im-
primer, exposer en vente & distribuer, pen-
dant l'espace de dix ans, un Traitté intitulé,
Sanctissimi Patris nostri Antonij magni Abbatis Regula, Sermones, documenta, Admonitiones, &c.
que ledit sieur ABRAHAM a traduit de la lan-
gue Arabe en la Latine. Et deffences sont faites à
tous Libraires, Imprimeurs & autres personnes
de quelque qualité & condition qu'elles soient,
d'imprimer ou faire imprimer ledit Traitté pen-
dant ledit temps de dix ans, à commencer du
jour & date que ledit Traitté aura esté acheué
d'imprimer, le vendre ou distribuer en tout le
Royaume sans son consentement & permission,
ou de ceux ayans charge de luy, à peine de con-
fiscation des exemplaires, & de quatre mil li-
ures d'amande, ainsi qu'il est plus au long con-
tenu dans ledit Priuilege.

*Acheué d'imprimer pour la première fois le 7.
Septembre 1646.*

SANCTISSIMI PATRIS NOSTRI
ANTONII MAGNI
ABBATIS REGVLÆ, SIVE
CANONES, AD FILIOS SVOS
SPIRITUALES MONACHOS.

Has perscribo regulas, prout lo-
quetur Dominus per os meum,
illis, qui graui huic Monachatus
iugo fese subiicere volunt. Iстis igitur obe-
diant oportet præceptis, & qui vnum sol-
uet ex illis, minimus vocabitur in regno cæ-
lorum.

I.

ANTE omnia, orationem sine intermis-
sione fundite, gratiasque semper agite Deo
pro omnibus, quæ vobis accidunt.

II.

SURGENTES manè singulis diebus, de-
ægrotis, qui apud vos sunt, perquirite.

III.

IEUVNATE singulis diebus usque ad
Nonam, excepto die Sabbati, & Domini-
co. Ingruente autem Nonâ ad cellam tuam
te recipito, & antequam cibum sumias,
orationem persoluito, & postquam come-
deris, ora, & lege iugiter.

A

Z REGVLÆ

IV.

CVM puero , & adolescente sermones
ineas , caue , aut familiaritatem contrahas ,
nec hos monachos recipias , ne dent locum
diabolo .

V.

SUPER eadem storea ne cubas cum mi-
nore te .

VI.

STATVTA\$ orationum horas obserua ,
nullamque prætermittas , ne rationem pro
ea reddas .

VII.

ÆGROTVM ad sumendum cibum ne
nimis cogas , at nec detrahas , ne eius mœ-
rore affectus animus conturbetur .

VIII.

SI venerit ad te frater aliquis post tem-
pus , cum gaudio suscipe illum , vt gratias
reddat Deo , tēque laudet .

IX.

MVNDA NIS hominibus ne te admis-
ceas omnino ; at nec Pharisæum imitēris ,
qui omnia ad ostentationem faciebat .

X.

MVLIEREM ad te accedere , ne per-
mittas , nec habitaculum tuum ingredi pa-
tiaris , quoniam post illam ira graditur .



S. ANTONII.

3

XI.

C O N S A N G V I N E O S tuos ne reuisas,
nec te conspiciendum ab illis finas , nec
adeas illos.

XII.

P L V S Q V A M tibi opus est , ne retineas ,
nec elargiaris plusquam potis es , sed quod
potes infirmioribus monasterij elargire .

XIII.

O R A T I O N E M tuam noctu persoluito ,
antequam ecclesiam adeas.

XIV.

N E comedas cum eo , qui multum pro
te impendat.

XV.

S I scandalum exortum fuerit pro iuue
ne aliquo , qui adhuc habitum monasti
cum non induit , ne induas illum , sed ex
Monasterio ejicito .

XVI.

C V M puero ne loquaris vñquam , erit
tibi enim in offendiculum .

XVII.

S I necessitas exegerit , vt ad vrbem pro
fiscaris , ne pergas solus .

XVIII.

T E R R A M v e c t i g a l i b u s subiectam ne se
mines , & societates cum dominis ne con
trahas .

A ij



REGVLÆ

XIX.

LOCVM, in quo exprimitur vinum, ne
adeas,

XX.

CARNES ne comedas omnino.

XXI.

IEIVNIVM ne soluas feria quarta, &
sexta, nisi ob grauissimum morbum.

XXII.

NE murmures in opere manuum tuarum.

XXIII.

DEFECTVS quoscunque nemini obii-
cias vllam ob causam.

XXIV.

SI fratrem quempiam inuiseris, ne diu
morêris in eius cella.

XXV.

IN Ecclesia loquaris omnino, caue.

XXVI.

IN exedris Monasterij ne sedreas.

XXVII.

NE iures omnino, nec verum, nec du-
biuim.

XXVIII.

ECCLESIA M, ad quam conuenit mul-
titudo hominum, ne adeas.

XXIX.

MORTVVM tuum in Ecclesia ne sepelias.

S. ANTONII.

XXX.

AD symbola, & conuiuia ne properes.

XXXI.

BONOS mores à maioribus tuis disce
quotidiè.

XXXII.

NVLVM aggrediariis opus, quodcun-
que illud sit, inconsulto patre Monasterij.

XXXIII.

SI perrexeris aquatum, vel iter feceris,
lege, & meditare quantum poteris.

XXXIV.

ELEMOSYNAM, quam elargiris, ne
ostentas.

XXXV.

SI in loco quopiam adfueris, in quo fiunt
agapes, comedē, & gratias agito Deo.

XXXVI.

NOCTV diúque pro peccatis tuis doleas.

XXXVII.

ESTO alligatus, inclususque noctu diú-
que in cucullo tuo, tunica, totóque habi-
tu tuo.

XXXVIII.

ACCENDE lucernam tuam oleo ocul-
lorum tuorum, nempe lacrymis.

XXXIX.

SI religioni operam dederis, ne gloriēris.

A iij



REGVLÆ

XL.

QVÆRENTEM Christi fidem ne reiicias.

XLI.

C O G I T A T I O N E S tuas omnibus ne
aperias, sed iis tantum, qui animam tuam
saluare possunt.

XLII.

A D messem cum perrexeris, ne moras
protrahas, sed redditum ad monasterium
accelera.

XLIII.

H A B I T U M, quo glorieris, ne induas.

XLIV.

V O C E M tuam ne extollas nisi canoni-
carum orationum tempore.

XLV.

O R A in cella tua, antequam ad Eccle-
siam proficiscaris.

XLVI.

A N I M A M tuam quotidie mortifica,

XLVII.

I N F I R M I T A T E S nemini obiicias.

XLVIII.

N E Q V E gloriēris, ne querideas omnino.

XLIX.

M O E S T V S esto continuò pro peccatis
tuis, acsi haberet mortuum in domo tua
semper.

L.

OPERA M da quantum potes, vt glori-
ficeretur Pater tuus, qui est in cælis.

LI.

CORRIPE filios tuos, nec parcas, quia
ipsorum damnatio à te exigetur.

LII.

NE comedas ad satietatem.

LIII.

DORMIAS parum, & cum mensura,
inuisent te Angeli.

LIV.

CVM oraueris, & Dei memineris, con-
stidue habitum tuum, quo es indutus, vt
alas, quibus transfretes mare igneum.

LV.

AD ægrotos profiscere, & eorum vasa
aquâ imple. LVII.

LINGVÆ certamina cuita.

LVII.

CVR A, vt omnes homines te benedicant.

LVIII.

TE IPSVM ad opera manuum vrge, in-
habitabit in te timor Dei.

LIX.

S I quem fratrem videris peccasse, sed
non ad mortem, ne contemnas illum, de-
spicias, aut damnes; incides enim in ma-

A iiii

nus inimicorum tuorum.

LX.

CAVE, ne pelliciatur intellectus memoria præteriorum peccatorum, ne innouentur in te.

LXI.

HV M I L I T A T E M dilige, & ipsa proteget te à peccatis.

LXII.

NE importunus sis, verbumque tuum statuere contendas, ne insit tibi malum.

LXIII.

SAPIENT E M ne te reputes, superbiâ efferetur anima tua, incidesque in manus hostium tuorum.

LXIV.

ASS V E S C A T lingua tua dicere: *ignoscere mihi*, & adueniet tibi humilitas.

LXV.

CV M federis in cellula tua cura hæc tria persoluere: opus manuum tuarum, lectio nem Psalmorum, & Orationes.

LXVI.

CO G I T A penes te ac dico: Non sum mansurus in hoc mundo, nisi hac die: & non peccabis Deo.

LXVII.

NE sis gulosus, & deditus cibis, ne innouentur in te priora tua peccata.

LXVIII.

N V L L I V S laboris tædeat te, & requies
tibi cīto immittetur à Deo.

LXIX.

Q V E M A D M O D V M ruina extra ciuitatem
inseruit ad fœtidas fordes omnibus , ita
anima pigri , & impotentis , qui monastico
instituto se tradidit , fit receptaculum om-
nibus passionibus , & fœtoribus .

LXX.

E N I T E R E orationes fundere perpetuas
cum lacrymis , vt fortè misereatur tui Deus ,
exuatque te homine veteri .

LXXI.

H I S quæ tibi propono , operam naua
nempe labori , paupertati , peregrinationi ,
ærumnis , & silentio , quæ te humilem effi-
ciunt ; Humilitas autem omnia peccata re-
mittit . Humilitas verò est , vt homo se pec-
catorem reputet , & quod nihil faciat co-
ram Deo boni : silentio incumbat , seipsum
nihili habeat : nemini , vt sua statuat verba ,
vim inferat : propriam deponat volunta-
tem : visum demittat : mortem proponat
ante oculos : à mendacio caueat : vana ne
proferat verba : superiori ne respondeat:
patienter ferat iniurias : & ad labores , ac
tristia sese cogat subeunda . Satagite ergo



fratres, hæc seruare præcepta, ne absque
fructu sit vita vestra.

LXXII.

PROMPTVS esto, vt dicas ad quod-
cunque, verbum, quod audis: *Ignosc me mihi:*
quia humilitas omnes hostis machinatio-
nes destruit.

LXXIII.

Ex operibus tuis, quæcunque sint, te-
ipsum ne efferas.

LXXIV.

VULTVS tuus perpetuò mæstus sit, nisi
cum adeunt te fratres extranei, tunc enim
hilarem indue vultum, vt inhabitet in te
timor Dei.

LXXV.

SI iter confeceris cum fratribus, parum-
per elongate ab illis, vt silentium serues.

LXXVI.

AMBVLANS ne dextrorsùm, & sini-
strorsùm te conuertas, sed psalmos tuos
meditare, & mente ora Deum in quocon-
que repertus fueris loco: & ne fiducialiter
cum eius incolis agas.

LXXVII.

IN omnibus gestis tuis modestiâ vtere.

LXXVIII.

AD ea, quæ tibi apponuntur, ne statim
manus extendas.

LXXIX.

SI iuuenis es, ne manum primus exten-das, aut immodestè, nec bucellam alterius ingeras ori.

LXXX.

SI alicubi dormieris, ne eodem pallio cum alio te cooperias, caue; & ante cubi-tum multas fundito preces. Et Dominus noster Iesu Christus nobis opem feraç ad operandum secundùm eius beneplacitum. Amen.

FINIS REGULARVM SANCTI
ANTONII ABBATIS.

SERMONES VIGINTI
 PATRIS NOSTRI
 SANCTI ANTONII ABBATIS,
 AD FILIOS SVOS MONACHOS.

SECTIO PRIMA.

De fide in Christo Domino.

ANTE omnia fratres credamus in Dominum nostrum Iesum Christum, colamus illum, nosque submittamus ipsi, & eius faciamus voluntatem omni tempore, ac momento, nec in alium Deum præter ipsum credamus, quoniam est Deus magnus, Dominus dominantium. Benedicamus eum in iustitia, & veritate, & nulli creaturarum assimilemus illum, neque iis, quæ sunt in cælis sursum, neque in terra deorsum, quia omnia hæc per ipsum facta sunt, & ipse est ante omnia, ac in æternum permansurus, nullumque habebit finem. Quamobrem in eum credamus & colamus illum, ut cum illo regnemus, atque simus in æternum, eius fruentes bonis, quia est Rex regum, & omnia regna ab eo sunt. Credamus ergo in eum ex totis cordibus nostris, & in eius ambulemus præceptis,

quoniam
 facia
 suo
 mun
 propt

E
 vt se
 oper
 dem
 mini
 glor
 deris
 Don
 dit,
 æter
 ab a
 sunt
 plus
 fissin
 tus,
 Don
 erad
 mult



quoniam fides sine operibus mortua est; vt faciat nobiscum misericordiam in regno suo , quum exibimus ex peregrinatione mundi præparati dicentes : *Vtique credidi,*
propterea loquutus sum.

SECTIO SECUNDA.

De Timore Domini.

EI A, fratres, ambulemus in timore Domini, quoniam præscriptum est nobis, vt seruiamus cum timore , & tremore , vt operemur salutem nostram. Quandoquidem nihil præstantius est timore Dei domini nostri Iesu Christi. Timor Domini est gloria, & gratia maxima; quare magni pondesis, & existimationis est ille, qui timeret Dominum. Timorem Domini qui possedit , magnos est adeptus thesauros bonis æternis refertissimos , & iam exemptus est ab æternis suppliciis , quæ peccatoribus sunt parata. Timor Domini est electus plusquam aurum , & argentum , ac pretiosissimi lapides. Nullus sapiens ita est exaltatus , vt ille , qui timeret Dominum. Timor Domini omnes dolos , & peccata ab anima eradicat. Qui Dominum non timeret , in multa incidet mala. Timor Domini homi-



nem efficit liberum, illumque à peccatis, paratis suppliciis, & à dracone nequam saluat. Timor Domini quandiu existit in homine, illum custodit, & seruat quousque abiiciat à se corpus hoc graue portatu, & heres efficiatur bonorum cum Sanctis, quibuscum gaudebit gaudio eterno, quem admodum scriptum est: *Propter timorem tuum Domine concepimus, dolorem partus passi sumus, & peperimus spiritum salutis.*

SECTIO TERTIA.

De Longanimitate.

SACRAE afferunt scripturæ, filij mei dilectissimi, quod melior sit longanimitas, quam fortis in sua fortitudine, istumque ille excellit tamquam fugiens ab igne. Estote itaque viri fortes, sed ambulantes in longanimitate, quia Deus in longanimi habitat. Ille vero, qui angusto operatur pectore, est secundum voluntatem diaboli, & eius pessimorum coadiutorum: contra longanimitas est secundum voluntatem Dei omni tempore. Adnitamus igitur, filij mei dilectissimi, ad operandum secundum longanimitatem Domini nostri Iesu Christi, ut adimpleatur in nobis verbum illud

scriptu
& posse
A
hi, qui
tia, fr
Deo
dolun
uerun
vitam
perfe
eam p
& od
estqu
spirit
thus
conse
secul
in ge
admo
ignis
tuam
corp
mult



*scripturæ: In tempore requiei longanimis fuit,
& possedit testamentum.*

SECTIO QVARTA.

De Simplicitate, seu innocentia.

AS SERIT beatus Dauid in Spiritu san- Psal. 24.
cto: *Innocentes, & recti adhæserunt mihi, quia sustinuite Domine Deus.* Hæc prophe-tia, fratres, est de Sanctis, qui iuncti sunt Deo suâ innocentia, quia abiecerunt à se dolum, quem pessimum fructum esse no-uerunt: contra verò fructum innocentia vitam æternam. Hominem innocentem in perfecto Dei timore compries. *Quisquis* eam possidet, perfectus est, & similis Deo; & odores emittit suauissimos atque gratos, estque gaudio, & gloriâ repletus, & requiei spiritus Dei domicilium. Innocentia est thus Deo, quicunque illam adipiscitur, consequitur gloriam, & honorem in hoc sæculo, atque in futuro, & nomen eius erit in generationem, & generationem. *Quemadmodum* quamplures filias comburit ignis, si illum neglexeris; ita dolus animam tuam deperdet, si in corde illum admiseris, corpusque adhæc tuum coinquinabit, & multa tibi afferet mala, & iniquas cogitatio-

nes. Deridet innocentem dolosus, & bonos omnes, & cor eius multis ac pessimis cogitationibus à diabolis illatis corripitur, quæ peruagari faciunt intellectum, ac mala excitant certamina, plagas, bellicos rumores, inuidiam, odium, & similia mala, quæ corpus etiam aggrauant, & morbos inferunt illi. Qui dolosè operatur, tradetur suppliciis, & cor diaboli, ac pessimorum sociorum lætitificat. Eia igitur, filij mei dilectissimi, comparete vobis modò innocentiam, ne moriatmini ante tempus verstrum. Adipiscimini vobis quoque Sanctorum simplicitatem, ut ad se Dominus noster Iesus Christus vos suscipiat, dicamusque cum gaudio: *Propter innocentiam nostram ad te suscepisti nos, & confirmasti coram te in eternum. Amen.*

SECTIO QVINTA.

De Humilitate.

Ila. 66. 2. **F**RATRES, Propheta dicit: *Ad quem respiciam, nisi ad mitem, humilem, ac trementem sermones meos, quos loquor.* Dominus Matth. 11. verò noster ita in Euangelio dicit: *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde: & inuenietis requiem animabus vestris.* Qui igitur sibi comparauit



comparauit humilitatem , jam Dei altissimi factus est habitaculum , & altitudinem , amorem innocentiae , pacem , & charitatem adeptus est . Eia ergo humilitatem vobis comparete , & cum superbia cordis diabolorum ne ambuletis . Superbia enim cordis despacta est coram Deo , & Angelis eius , atque Sanctis . Quisquis ergo ambulat cum superbia cordis , diabolorum particeps est . Propter superbiam cordis inclinati sunt cœli , & commota fundamenta terræ , conturbatae abyssi , & deturbati Angeli à gloria sua , ac diaboli facti propter superbiam cordis eorum : iratus est propterea omnipotens , & abyssum sursum ignem emittere fecit , simulque mare igneum sursum extollere fluctus . Propter superbiam cordis infernum instituit , & supplicia . Propter superbiam cordis vincula facta sunt , & flagella , quibus diabolus ob cordis sui superbiam torquetur . Propter superbiam cordis eius factæ sunt abyssi inferorum , & vermes , qui non moriuntur , nec dormiunt . Propter superbiam cordis facti sunt currus ignei , & instrumenta flamarum ardentia , & carbones ignis . Propter superbiam cordis omnia conturbata sunt , configuntque simul , vnde orta est tyrannis . Cuncta hæc

B



facta sunt propter superbiam cordis. Superbia cordis hominum coram Deo immunda est; corda verò humiliata, & contrita non abominatur Deus. Ad nos autem, filij & fratres mei dilectissimi, veniens Dei clementia ab altissimis, facta est humilis usque ad ultimum spiritum. Quare gloriemur cum dicente: *Respic humilitatem meam, & laborem meum, & dimitte mihi peccatam ea.*

SECTIO SEXTA.

De Puritate.

SACRÆ asserunt scripturæ, filij mei dilectissimi, quod magnæ diuitiæ sit purus homo. dicunt quoque: *Estote Sancti, quoniam ego Sanctus sum, ait Dominus omnipotens.* Eia ergo decertemus pro puritate usque ad mortem, & ab omnibus caueamus immititiis, quæ sunt præter naturam, iuxta verba primogeniti prophetarum Moysis. Plurimum quoque caueamus ab hoc negotio amaro, ne scilicet nostra iniucem detegantur verenda, néue mulierum adspiciamus pulchritudines. Quippe haud nescimus ex his mortem ortam fuisse; & sanè omnium pessimum est mulieres adspicere ad concupiscentiam. Propter visum enim oculorum



Angeli cecidere à sua gloria , & honore
spoliati . Multi quidem periérē , fratres ,
propter mulieres . Quidam enim vxoris
causâ interfecti , nonnulli sororum causâ ,
aliqui propter filias : omnia autem hæc ob
solam immunditiam . Ambulemus igitur ,
fratres , in puritate , quia puritatis fructus
est lumen , veritas , & vigilancia . Ne sitis er-
go pessimarum , abiectionarumque passionum
serui , aut obscenarum voluptatum , quæ
immundæ sunt coram Deo . Dei nomen in
cordium vestrorum oculis prescribite , vt
iugiter intra vos exclamet dicens : *Vos estis
templa Dei viui , & locus requiei Spiritus sancti .*
Qui autem operatur immunda , dolo cu-
mulatus est , & irâ , & amaritudine , & su-
spiriis , & vinculis pessimis coram Creatore
suo . Homo deceptus immunditiis , similis
est coram Deo iumentis omnis cognitionis
expertibus , iuxta sententiam psalmistæ san-
cti David Prophetæ . Eia nunc igitur , filij
mei dilectissimi , venite , odio habeamus
oculum illum nequam , & puritatem per-
quiramus , quia gloria hæc est Angelorum
Dei . Si autem persuadente Diabolo ceci-
derimus , per pœnitentiam surgamus , &
adeamus illum , qui venit querere vnam
quæ errauerat per peccatum , Deum

B ij



nempe, qui peccata condonat omnibus il-
lis, qui ipsum rogant ex toto corde suo; vt
audiamus nos quoque vocem illam suauem
dicentem: *Pretiosa est in conspectu Dei mors
electorum suorum, sine interitu in seculum.*

SECTIO SEPTIMA.

De Pace.

HOc manifestum vobis sit, fratres,
quod Dominus ipse præcepit nobis
pacem perquirere, vt apprehendamus eam;
quoniam oculi Domini respiciunt iustos, &
aures eius intentæ sunt ad eorum oratio-
nes. Fratres, dignoscamus pacem Dei, &
properemus ad illam, ne nobis obiiciatur,
quod pax nostra, pax peccatorum sit. quan-
doquidem ipse dixit: *Pacem meam do vobis,*
& pacem meam relinquo vobis. Eia ergo, fra-
tres, venite, verum ineamus certamen, vt
nobis Christi retineamus pacem, quia pax
hæc descendit à Patre lumen, & Rege
seculorum. Amator pacis iam consors effe-
ctus est dilecti Patris Iesu Christi, atque
Angelorum, nullisque afficitur incommo-
dis; ubi osores pacis inuidiâ, & perturba-
tionibus retorquentur. Propter inuidiam
autem, quæ est principium omnis dolii, &



fraudis , suppicio affecti sunt filij Dei, eiūsque causā inualuit peccatum , regnauit mors super infernum , & arbores infructiferæ redditæ sunt, suamque commutarunt naturam. Propter inuidiam effusi sunt sanguines innoxij : fugiamus igitur inuidiam , & contentiones. Qui amicus est inuidi , & contentiosi , amicus est nocentis feræ. Imò qui se confidit feræ , aut draconi , securior est eo , qui se confidit contentioso , & inuidio. Qui à contentionibus non abhorret, nemini hominum parcit , nec ipsis amicis ; & nemo illi potens videtur , nec dirigitur in via. Etenim sanguinem tuum manibus suis, vt pugillum aquæ effundent super terram: & vita tua nihili dicitur ab illis. Eia nunc ergo , filij mei, fugite inuidiam , & estote filij amatores pacis , & proximis vestris ne aduersemini , quoniam perfectio Legis est, vt sustineas , & diligas proximum tuum. Nequaquam duplicitis cordis sitis , vt sitis fortes. Ne mali sitis in inuicem, quia homo malus amarus est totā vitā suā , & festinus est in operibus perditionis , & vitæ operam dat pessimæ : pretiosæ & honorabiles sunt apud illum iniuriæ , & in verbis stultiæ gloriatur. Nunc itaque filij mei, si qui ex vobis vitam agcre super terram deligunt

B iij



fructus agrorum colendo , aut vina vinearum , ne comedatis , & bibatis sine mensura , ne obliuiscamini Dominum Deum vestrum iuxta verba sacri Euangelij : sed laboremus opere manuum nostrarum , vt offeramus Domino sacrificia , & holocausta pacifica , vt optimus nostram exaudiatur orationem Deus , nosque audiamus vocem illam ipsius dulcem dicentem : Beati reconciliantes pacem inter homines , quoniam vocabuntur filii Dei , qui est Deus pacis in æternum , Amen.

SECTIO OCTAVA.

De Silentio.

SAPIENS asserit Salomon , dilectissimi ,
thesaurum electum esse in ore sapientis : item , qui non potest custodire os suum ,
atque linguam , fatigat , ne multiplicet
verba . Caeve homo , & linguæ dominare ,
nec multiplicet verba , ne multiplicet tibi
peccata . Ori tuo pone digitum , & frenum
linguæ tuæ ; quia homo multiloquus nusquam
Spiritui sancto inhabitandi in se relinquit locum . Noctu diuque nomen Do-
mini versetur in ore tuo , & spiritali esto
conditus sale , vt cognoscat unusquisque

continentiam tuam. Si quis tyro adhuc tecum loquens te rogauerit verbum aliquod, in quo est lucrum animæ, responde illi, si verò nullum est lucrum, esto ut surdus, qui non audit, & ut mutus, qui non loquitur. Ea nunc igitur, filij mei, veram vobis comparete doctrinam, ut sitis perfecti; impensè quærите veritatem & mansuetudinem, ut impleamini bonis. Qui autem silet sedens coram Deo, adimplebitur de illo verbum scriptum: Beati qui miserebuntur illis propter timorem Dei iudicis viuorum, & mortuorum: qui autem adimplet consilium iustorum sine corruptione viuet in æternum, ac in sæculum. Amen.

SECTIO NONA.

In qua solatur eum, qui se religioni addicit propria salutis causâ, nec perseverat in peccatis.

DI X I T Psaltes: *Servite Domino in timore: & exultate ei cum tremore.* Scriptura etiam dicit: *Ne alium colatis Deum prater me.* Expedit nobis ergo, fratres dilectissimi, seruire Deo, quoniam melius est, ut scribitur, confidere in Domino, quam confidere in hominibus. Ne soliciti ergo simus, seruire hominibus, ne in laqueos corum

B iiij



incidamus , prauisque ipsorum concupiscentias. Ne ambules post concupiscentiam visus oculorum tuorum , nec cor tuum disoluas , ne incidas in loca tenebrarum fulmis plena in æternum , Concupiscentia namque mala cor peruertit , & mentem permutat. Longius igitur recedite ab ea, ne Dei inhabitans in vobis irascatur spiritus. Vos autem filij mei , æquo , fortique estote animo , & diabolum flocci ducite, quoniam habemus creatorem , qui præsto est ad opem nobis ferendam , ut eius faciamus voluntatem , & cuncta beneplacita omni tempore ; quare exclamemus dicentes : *Deus mihi , Ego sum seruus , & filius ancillæ tue.* Deus , qui solus sapiens est , custodiat vos , ut excrescatis in operibus Domini nostri Iesu Christi , cui gloria in æternum. Amen,

SECTIO DECIMA,

Oportet nos plurimum cauere à linguis nostris.

DOMINVS noster Iesus Christus in suo sacro Euangeliō nobis dicit : *Intrate per angustam portam.* Dicit item : *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum.* Quid autem sit porta angusta , per

quam nobis intrandum est, fratres dilectissimi, id nobis sapiens Salomon aperit, dum dicit: *Fili mi, ne permittas ori tuo, ut aperiatur, ne peccet caro tua.* Necnon: *Os stulti contritio eius.* Adnitamus ergo oribus nostris fortem ponere custodiam, ne mali quicquam proferamus; quoniam sermo prauus cunctis venenis peior est. Omnia vulnera curantur, vulnus verò linguæ nullam curationem habet. Lingua draconis præstat linguâ susurronis, qui est à pessimo diabolo, quia rixas, & acria certamina in medio excitat fratum, & seditiones, ac mala seminat inter pacificos, & congregaciones dissipat plurimas. Si ad te illum ingredi permiseris omnibus dignitatibus spoliabit te. Quicumque societatem cum illo iniuerit, jam homicidiis, & interficientibus gladio factus est socius; quia homicida, & susurro eundem producunt catulum: nam si gladio non interimunt te, eò te adducent eodem vulnere. Lingua susurronis haud absimilis est morfui colubri, imò magis expedit habitare cum colubro, & scorpione, quam vñà habitare cum susurrone. Blasphemus, atque tyrannus meliores sunt susurrone. Omnia peccata murmuratione sunt minora. Susurro, &



qui ipsi aures præbet , eandem referunt condemnationem. Expedientius tibi est ad ignem accedere , & comburi potius, quam accedere ad susurronem. Si incerteris super picem ebullientem , tibique caueris , facile saluus cuades : at si casu transieris propè susurronem , longè recede ab illo , ne irremediabilibus te plagis tradat, quia os eius omni tempore plenum est homicidiis , & fraudibus. Quamobrem vobis strictè præcipio , vt maximâ , quâ potestis fugâ à susurrone vos recipiatis , Monachus sit ille , Anachoreta , vel Decertâs , siue Novitius ; dummodo susurro est , quisquis sit, fuge illum , et si pater fuerit tuus , vel frater: susurro est , longè te ab ipso recipito. Expediit enim magis commorari cum Leone, & Leæna , quam cum susurrone. Nec te pudcat fugâ ab illo recedere , ne peccati veneno te inficiat. Eia igitur filij mei, murmurationem fugite , & silentio nauate operam, quia silentio deditus propè Deum est , & Angelos eius , & in altissimis collatus. Dominus autem dicit , quod tunc custodiet vias tuas , quando ipse tuos custodies sermones. Dicetque nobis propterea in die visitationis nostræ. *Beatus es Israel , qui custodis os tuum , quis similis est*



tui ? Deus autem vos seruet pace suâ , atque gratiâ . Amen.

SECTIO VNDECIMA.

De sapientia , & intelligentia , seu scientia .

DICIT sapiens Salomon : *Principium sapientie est timor Domini.* Scientia itaque operanti secundum eius statuta , optima est . Ait etiam : *Omnis diligentia custodi cor tuum , quoniam semitæ vitæ ex his procedunt.* Nam consentaneum est , ut in nostro regimine solliciti simus , ne stulti habeamur , stultus autem nauci ducitur ; ideoque dicitur , quod stultus , & insensatus vna pereunt , & in nullo honore habentur . Dicit præterea Salomon : *ira stulti eo pejor est.* necnon : *durus corde in multa incidet mala , & ossibus eius non est sanitas , neque anima eius requiem nanciscetur , & in morte eius non est requies , neque honor.* Homo elatus corde omnibus est exosus , quod opera illius nimis fastuosa sint , proptereaque , in multa incidit peccata . Omnia peccata coram Deo sunt despicienda , sed omnium despiciatissimum est superbia cordis . *Quicumque aut petit , aut dat consilium superbo corde , similis*



est effundenti aquam in vas perforatum: vel illi similis est, qui transuolantem alloquitur auem. Societatem cum Dracone, & Hidro pessimo inire, expedientius est, quam cum superbo corde; quare insensatum qui erudit, exprobrat Legem. Draco si hominem nudum viderit, capite demisso retrocedit: at homo superbus corde nullo capitur pudore propter nequissimam cordis eius superbiam. Diabolus etiam ob cordis sui superbiam è cælo deturbatus est. Vos ipsi vos corrigite, & peccata vestra coram Deo & vestris majoribus confitemini, vt vos ipse exaltet; quia summus ille in cælis est, & humiles à longè respicit. Eia nunc igitur filij mei, decertamus secundum veram, optimamque sapientiam, ne de nobis adimpleatur scriptura illa: *Cor stulti in sinistra eius; sed vt de nobis dicatur; Intellectus sapientis in dextra eius.* Itemque illud Psalmistæ: *Manus tua deducet me, & dextra tua suscepit me.* Deus autem sit vobiscum omnibus. Amen.



SECTIO DVO-DECIMA.

De verecundia.

SACRÆ asserunt scripturæ, duplícem
esse verecundiam; vna ex qua enasci-
tur peccatum, altera verò ex qua enasci-
tur gloria, & gratia. Afferunt etiam inue-
recundum omnibus exosum, despectum-
que esse; verecundus verò verecundiā suā
ad verecundiam eleuatur. Verecundia ob
contractum peccatum, verusque pudor,
est vtilis verecundia: verecundia verò, ex
qua enascitur peccatum, est ea verecun-
dia, quæ impedit ne executioni man-
dentur Dei præcepta. Filij mei, cauete,
ne operam iniustitiae nauetis, & oppres-
sionibus ac iudicio, nec cum effusore san-
guinis ambuletis, sed omnium maximè
munera acceptantem, & exercentem vſu-
ras fugite, ne capiamini amore argenti,
sicut illi: siquidem argenti amor multa suis
amatoribus infert mala. Cauete ne pro-
pter verecundiam consentiatis, atque con-
curratis cum multitudine in dolum, &
fraudem. Cauete adhuc, ne propter ve-
recundiam quod vestrum non est, concu-
piscatis. Odio ne habeas ætate prouectas,



& viduas , neenon pauperes parentibus
orbatos : fuge tamen viduam fatuam , &
pupillos cognitionis expertes. Caue om-
nino , ne litigiis capiaris , sed à contentio-
nibus longè recedito. Cum muliere fatua
caue loquaris , aut cum reprobata , præ-
sertim autem , quæ injuriā afficit viros ,
quemadmodum de illa scriptum est. Ne
te pudeat recedere ab illis , qui peruan-
tur in plateis , ac per ciuitates & solitudi-
nes errant , quia pluriimi hoc capti sunt
laqueo. Sed reuertamur nunc ad eam ve-
recundiam , quæ gloriæ , & gratiæ est ple-
na. Ne te igitur facere pudeat quicquid est
secundùm voluntatem Dei , nec in opere
veritatis celes te ; nec Domini doctrinas
ediscere , aut verba sapientiæ verearisi ; aut
tua sacerdoti tuo peccata aperire te pu-
deat. Principem , aut diuitem immisericor-
dem ne timeas , aut verearisi potentem , vel
tyrannum , peccatorem , aut perpetrato-
rēm iniquitatum. Verecundiā ad aliquod
peccatum perpetrandum ne seducaris , aut
inducaris , ne illa te perducat ad pessimum
supplicium ; propter peccatum enim glo-
riæ vestimento exsoliatus est homo. Deus
ergo scientiam vobis concedat , & induat
sapientiā gloriæ , & intelligentiæ , ut exclā-



memus nos quoque dicentes : *Propter innocentiam meam suscepisti me, & confirmasti me in confectu tuo in aeternum. Amen.*

SECTIO DECIMA-TERTIA.

De vana gloria.

DICIT Propheta, fratres dilectissimi: *Panem desiderabilem non comedи, neque gloriam concupiui hominum.* Et Dominus noster, qui animarum nostrarum commiseratione ducitur, in sacro Euangelio dicit: *V&e vobis si dixerint de vobis bona verba, & glorificant vos, & gloriam Dei non queratis.* Decertemus igitur nos etiam ad mortem usque vanæ gloriæ obſistendo, eiusque pessimos abſcindamus ramos, ne ad supplicium perducamur. Vana gloria cordibus nostris dominari aſſolet; cui vero dominata est vana gloria, ad condemnationem est destinatus suppliciorum, ac ſeſe in ſacrificium offert praesidibus abyſſi inferorum, ſimilisque eſt homini, qui aquam reponit ad ſuam ſitim leuandam in vase perforato. Fuge vanam gloriam, plures enim interierunt cauſâ illius, hominemque ad multiplices compulit labores, ieiunia, preces, plures vigilias nocturnas,



eleemosynas multas coram hominibus erogatas, ac alia eiusmodi, quibus demum nihil aliud consequetur nisi confusionem, & opprobrium. Hanc ergo fugiamus inanem gloriam, quia omnibus diabolis peior est. Si autem nulla exstat in nobis vana gloria, ad magna ostentanda ne curramus, ne interteamus propterea, & multiplicibus eorum ramis implicemur, quoniam diaboli inanis gloriæ multi sunt nimis. At impensiùs multò inquirere admittamus sanctorum gloriam, eorumque paupertatem, ut suave illud comprehendamus Dei eloquium: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum Celorum.*

SECTIO DECIMA-QVARTA.

De gloria & patientia.

DICIT Dominus noster Iesus Christus in sacro suo Euangelio: *In patientia vestra lucrabimini animas vestras. Nec non: Qui sustinuerit usque in finem, hic saluus erit. Quantò magis ergo in veritate nobis laborandum, & sustinendum erit, ut ea, quæ nobis in cælis parata sunt consequamur. Antequam ad sanguinis effusionem peruenierimus, ne gloriemur, nullus enim artifex*

artifex de opere suo antequam absoluatur,
gloriatur , sed artificio iam perfecto. Si
enim ambulauerimus secundum verita-
tem , & dilexerimus odio nos habentes,
& quod nobis fieri nolumus , alteri non fe-
cerimus , & amauerimus pacem , humili-
tatem iam sumus consequuti. Si superbiam
cordis odio habuerimus , iam inimicos am-
plexati sumus nostros. Si benedixerimus
maledicentibus nobis , iam frænum impo-
suimus oribus nostris. Si dilexerimus cha-
ritatem iam optimum præstitimus cultum,
vicimus tædium, multiloquium , & odium
erga proximum. Cùm hæc omnia com-
pleuerit homo , tum glorietur , vt ille , qui
tota die est operatus iuxta Euangelij testi-
monium , & cum fiducia postulet merce-
dem suam ; Deus enim noster haud iniu-
stus est , sed vnicuique tribuit secundum
merita. Ille autem beatus est dicendus , qui
humilitate victoram est consequutus , &
suo tempore glorificabitur in altissimis , vt
Lazarus. Nobis autem exclamandum est ,
atque dicendum : *Quoniam humiliatus sum ,*
liberaisti me Domine , reuertere anima mea ad
locum requiei tuae in eternum. Amen.

C.



SECTIO DECIMA-QVINTA.

De Intelligentia.

DI XIT Psaltes David : *Eloquia tua dulcia sunt in faucibus meis , præ melle in ore meo.* Item : *Consilia cordis eius electa sunt præ lapidibus optimis pretiosiss.* Verè beatus est ille , qui euigilat , & facit præcepta Domini nostri Iesu Christi , donec assequatur veram eius scientiam , vt dicere possit : *Admirabilis est scientia tua.* Infidelis caue sis , ne irascatur qui nos creavit. Quicumque enim non ambulat secundum rectam fidem , escam vermibus præbet , qui non dormiunt , & principi tenebrarum maciat victimas , eiusque spiritus alienus fit à vita xterna , & manifestè recedit à Deo. Eorum quidem plerique , qui in inferis sunt , eò infidelitatis causâ aguntur. Propter infidelitatem , incredulitatemque duxerunt originem omnia ea mala , quæ in Dominum nostrum Iesum Christum perpetrata sunt. Sed neque in illum à mortuis resurgentem crediderunt perfidi illi , vt saluierent. Væ illi generationi ; vae miseris eorum animabus. Qui incredulo annunciat , aut corripit , vel docet illum , similis est ho-



mini illi, qui pretiosissimas gemmas in profundum deiicit maris. Quemadmodum aqua in decluem terram decurrit, & eò cum impetu fertur; ita verbum Domini influit in animam fidelis. Eia igitur, filij mei dilectissimi, fugite infidelitatem, tamquam malorum omnium originem, ut magis magisque Dominus glorificetur, eiusque sancta resurrectio. Credamus igitur in nomen Domini Dei Patris, & Filij, & Spiritus sancti, ut nos illud scriptum comprehédat verbum: Qui credunt in Dominum, erunt sicut mons Sion, qui non commouebitur in æternum, qui est in Ierusalem; firmum quippe sanctorum omnium fundamentum fides est, quâ ora occluserunt leonum, & flammam extinxerunt ignis, ob suam accensam semper in Deum fidem.

SECTIO DECIMA-SEXTA.

De bona diligentia.

AS SERIT beatus Apostolus Paulus: Haud consentaneum est nobis, fratres, vivere secundum carnem, quia secundum carnem viventes morentur. Dixit etiam B. Ioannes: Nolite diligere mundum, quia mundus transit, & omnes concupiscentie eius. Qui autem facit

C ij

voluntatem Dei, manet in eternum. Euigilemus ergo , filij mei dilectissimi , constituamusque nobis bonam diligentiam in domo mentis nostræ , ne indiligentes vocemur , & pigri. Dictum iam quoque est : Si posse deris diligentiam bonam , bonæ mentis particeps eris. Qui bonâ diligentia est præditus , templum iam factus est Dei , non menque honorificentissimum sibi comparauit, nimis ditabitur , ac thesauros bonis cumulatissimos nanciscetur. Beatus qui inuigilat ad portam sapientiæ. Contra diligentem , inuigilantemque passiones ne quaquam præualebunt. Si autem ceciderit propter fraudes Tentatoris , statim erigit illum diligentia , atque vigilantia. Incurius autem , ac piger minimeque diuino inuigilans cultui , si ceciderit propter dia boli tentationes , non aduertit peccatum , quod perpetrat , quia cor eius instar lapidis est durum , & simile domito , vinclisque , inulo , quem continuò condescendunt minimè reluctantem , quemadmodum scriptum est : *Affimilatus est iumentis , quibus non est intellectus.* His indiligens comparatur homo , quoniam in eiusmodi hominum genere suas manifestat diabolus concupiscentias , & desideria , suamque con-



fusionem vniuersam , & illum quocumque lubet, trahit, donec compleantur iniqüitates eius , & cum gemitibus , ac fletu moriatur. Eia nunc igitur , filij mei dilectissimi , comparete vobis perfectionem , & diligentiam , ne in omnia hostis certamina incidatis. Negligens instar est domus euersæ & destitutæ incolis, quæ nullo est in pretio apud quempiam, sed execrabilis omnibus , vt viperarum , scorpionum , & diabolcarum ferarum domicilium, nemoque de illa curat, vt quæ euersa sit , & defolata. Hæc est ratio negligentis ; nam nullam comperies diuinam opem illum custodientem , aut inhabitantem in eo, quæ hæc omnia ab illo arceat, quin in eo habitant. Filij mei dilectissimi , hanc diligentiam seruare sagitate , nec eam deponatis à vobis , ne imperio hostis subiiciamini. Dum exstat in homine optima diligentia , & cura , ab omnibus casibus , & ruinis erigit illum , & præseruat , ita vt fiat homo ille Spiritui Sancto requiei locus ; & suum iter absoluat feliciter, atque mereatur locum requiei Sanctorum in pace adire , & pulchram suauemque illam audire vocem : *Cor contritum, & humiliatum Deus non despiciet.*

SECTIO DECIMA-SEPTIMA.

De religiositate, & virginitate.

AV DIVIMVS B. Paulum Apostolum, cum ad virginitatis peruenisset honores, ita de ea dicentem: *Præceptum Dei non habeo. Non habuit præceptum, quia non omnes graue hoc iugum ferre possunt, ideo electioni relictum est eorum, qui illud ferre valent.* Virginitas est signaculum, quod non corruptitur; perfecta similitudo, quæ non commutatur; spirituale, sanctumque sacrificium; specula, & visus, quo obseruatur iter ad perfectionis ducens metam: diadema veris perfectionibus contextum: suavis ille ros, qui omnes refrigerat creaturas: Ipsa euangelium vitæ, quod abscondita ab omnibus fculis & generationibus referat arcana. Maxima sane hereditas est, & possessio virginitas. Qui virginitatem aspernatur, Deum ille, & Angelos afficit iniuriâ. Nemo profectò ex aduersarij exercitu accedere audet, aut valet in eam. Attamen nemo virginum glorietur de virginitate, gratia quippe ipsius Dei est. Virgo muliebres sensus, cogitationes carnis, cordis superbiam,



& amorem eorum omnium , quæ diaboli sunt , à se amoliatur. Murmurationem procul amoueat quoque ; item erga homines odium , & gloriam mundi. Religioni incumbat , contineat linguam , ventremque castiget ieiuniis. Nam si his omnibus exornata fuerit , erit sacrificium sine macula , aut pollutione. Virginitas vrnæ auro plenæ comparatur , quam diu noctuque custodiunt excubizæ. Virginitas odor est suauissimus Christo Domino , & diademata vitæ connectit. Si virgo solicita fueris de multis cibis , & cum tui ambulaueris admiratione , in omnibus operibus tuis confectionem referes. Si linguam tuam non custodieris , vacua eris toto vitæ curriculo , & adimplebitur de te scriptus ille sermo : *Suscepisti magnos labores frustra. Nolite ergo fratres , nolite permittere , vt id vobis accidat , sed optimæ , ac perfectissimæ patientiæ operam demus , vt nos quoque dicere valeamus : Non timeo , quia Dominus adiutor meus est.* Et sicuti dictum est : Timentes se dominus diligit in cunctis bonis.

C iiii



SECTIO DECIMA-OCTAVA.

In qua præcipit, ut recedamus à malo, & accedamus ab bonum, faciamusque illud.

SACRÆ asserunt Scripturæ: Ecce propositum coram te duas vias, scilicet bonum & malum. Vix autem mali nouissimum ad profundum inferorum conducere, eadem nos certiores fecerunt. Recedamus ergo ab ea, & ambulemus cum rectitudine per eam, quam ambulauerunt sancti, quemadmodum dictum est: Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini. Via sanctorum verò est, ut ambulemus in Lege Domini, scilicet in puritate corporis, puritate linguae, puritate oculorum, puritate manuum, puritate aurium, puritate pedum, & recta ad Deum cogitatione, mundoque corde erga inuicem, ut dicere valeamus: Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innova in visceribus meis.

SECTIO DECIMA-NONA.

In qua agitur de continentia linguae.

CHARISSIMI Fratres, vestram rogo charitatem erga Christum Deum, ut fugiatis, & euitetis semen nequam, plenum fraudum, & omnium pessimorum dolorum. Sacra siquidem asserit Scriptura: Lingua quidem modicum membrum est, sed maculat corpus totum. Dicit item: In ipsa benedicimus Deum: & in ipsa maledicimus homines, quos creauit Deus ad suam similitudinem. Mors ergo residet in eo, qui bicipitis est linguae, quia cum morte fœdus percussit, sibique perditionis in inferno præparauit domum, nec habebit hereditatem in terra viuentium, qui faciunt Dei voluntatem. Certè hominem bilinguem animas deperdere comperies, familiares, & amicos perturbare, dissipare cœtus, & congregations, omnibus malis patrandis dare operam, ac se se immiscere, semperque in proximum machinari dolum. Orationes, eleemosynas, & iejunia bilinguis tenebris obuoluta comperies coram Deo, quamobrem scriptum est, quod oratio hominis huiusmodi fiat in peccatum. Eia



nunc igitur fratres dilectissimi , longè fugite à bilingui , amicitiam cum eo nequam ineatis , quia qui amicitiam cum illo iniuerit , eam cum morte iniuit . Imò adnitere totis viribus , ne cum illo loquaris , ne eius pessima ediscas opera , teque inficiat . Beatus est homo ille , qui sibi diligenter cauet , & experimento ediscit fidelem in omnibus esse ; quia is vocem illam lætam audiens : *Quia super pauca fuisti fidelis , supra multa te constituam , intra in gaudium Domini tui.*

SECTIO VIGESIMA.

De Dolo.

EX TOLLEMVS manus nostras , & cor da nostra ad altissimum , qui in cælis est , & fugere admitemur primum illud peccatum , nempe dolum , qui erat in Cain , secundūm verbum illud scriptum : *Deus libera me ab homine iniquo , & deboleto . Homo dolosus animam suam decipit tantum , quia dolus eius reuertitur in caput ipsius , ut scriptum est in psalmo : Labor eius conuertitur in caput eius , & iniquitas veniet usque in medium domus eius . Hominis mali ne familiaritate vtaris , nec iniquum sequaris hominem , nec penitus tangas illum , sed*

execrare ut syndonem mortuorum fætori-
bus coinquinatam. Lingua quippe homi-
nis dolosi excitat contentiones inter tur-
bas, effusionemque sanguinis. Qui amici-
tiam contrahit cum doloso, eandem cum
pessimo diabolo contrahit. Qui societatem
init cum doloso, eam init cum effusoribus
sanguinis, & propriæ mortis fit ipse reus.
Multò expedientius est, habitare in solitu-
dine, quam cum homine doloso. Cum do-
loso amicitiam ne contrahas, in domum
villam cum eo ne ingrediaris, quia si fueris
ingressus, pertrahet te ad suum fætorem.
Satius tibi est, esse cum feris, quam cum ho-
mene doloso. Siquidē suauiter ad te acce-
dit iste, & pacificè loquitur tecum: at si cor
illiū semel contristaueris, statim abscon-
ditum eructat dolum, tēque imparatum
iugulat. Quāmobrem Deus, qui erat cum
patribus nostris Abraham, Isaac, & Iacob,
sit vobiscum, vt vos eruat ab illo, cuius for-
titudo est in lumbis, nempe diabolo; qui
omni tempore religiosis inuidet viris, &
suo hamo eos capere, vt deglutiat, niti-
tur: verū, qui orat pro nobis, habemus
Dominum nostrum Iesum Christum, qui
nobis dedit potestatem calcandi virtutem
cius. Oculus, qui à videndo non defatiga-



tur , & auris , quæ ab auditu non deficit , ipsa asseuerat , quod complementum Legis sit charitas . Dicit etiam : Horum complementum est , ut sitis omnes cor vnum in Iesu Christo : ope m in uicem ferentes , & fraternalm exhibentes charitatem , misericordes existentes ; vt Dominus nostra præparet corda ad sua mandata facienda usque ad diem manifestationis plenæ gloriæ per Iesum Christum in omnes generationes sine corruptione , fratres , quos diligo , per Iesum Christum , cui gloria , & honor ex nunc , & omni tempore , & in saecula saeculorum . Amen .

Completi sunt viginti Sermones sapientissimi Patris nostri S. Antonij Abbatis, Monachorum omnium parentis. Dominus nostri per eius orationes misereatur. Amen.



EIVSDEM PATRIS NOSTRI
 SANCTI ANTONII ABBATIS
 MAGNI, SPIRITUALIA DOCUMENTA
 REGVLIS ADIVNCTA.

Ad filios suos Monachos.

ANTE omnia, fili mi, ne quicquam re-
 putes temet-ipsum, & hoc tibi generat
 humilitatē: humilitas verò generat doctrinā:
 doctrina autē generat fidem: fides verò
 generat spem: spes autem generat charita-
 tem: charitas autem generat obedientiam:
 obedientia verò generat constantiam sine
 commotione. Fili mi, exue malum, & in-
 due mansuetudinem, abiice oculum ne-
 quam, & simplicem tibi sumito. Infirmito-
 rem te ne imitēris, sed te electiorem. Ho-
 minum ne timeas opprobria. In quoquam
 operum tuorum caue innotescas. Omnia,
 in quibus animæ tuæ inest detrimentum,
 odio habeto. Voluntatem Dei ne dimittas,
 vt facias voluntatem hominum. Non mur-
 mures, neque iniuriis quempiam afficias.
 Non inuidēas illi, qui iniustè proficit, sed
 fac, vt omnes homines te sint superiores,
 vt tecum sit ipse Deus. A bonis operibus,
 quæ aggressus es, ne reuertaris retrò. Di-



uini amoris caue te tædeat. Quicquid operari vis patienter perage : nam si patienter sustinueris , opitulabitur tibi Deus in omnibus ijs , quæ facies , quæque tibi sunt euentura. Ne retrocedas à via tuæ solitudinis. In omnibus quæ sunt huius mundi, otiosum sermonem odio habeto. De virtutibus tibi comparandis esto solicitus, ne negligentiam contrahas. Tu autem fili mi, si hæc feceris , consequeris hereditatem , quam oculus non vidit , nec auris audiuit , nec cor hominis cogitauit. Inferorem te in virtutibus electum esse reputa, ac tibi æqualem in ipsis virtutibus ; æqualem verò tibi in virtutibus electum esse , & præstantiorem in incremento. Fili mi cogitationū, quæ te aggrediuntur in cella tua ne tædeat re:sciasque Dominum nihil tuorum laborum obliuioni daturum ; ex quibus tibi incrementum accedit , & Dei tibi opitulabitur gratia. Fili mi, illi , qui dilexerunt Dominum ex totis cordibus suis, & bonis operibus iugiter incumbunt, sint tibi imago , & exemplar : nec te pudeat ab illis tuam postulare vitam , quoniam in virtutibus sunt perfecti. Ne imitēris eos , qui operam nauant requiei huius mundi, quoniam isti nunquam proficiunt : sed æmula-



re eos , qui errabant in montibus , & solitudinibus propter Deum , vt veniat tibi virtus ab alto. Bono sis animo in omnibus ijs , quæ facies secundùm voluntatem Domini. Ne retrocedas in quoquam istorum præceptorum , & Dominus Iesu Christus concedet tibi requiem , & perficiet in pace quæcumque aggressus fueris opera: quoniam perfecti Patres nostri , & quicunque hos imitati sunt , ex istis sunt perfecti. Fili mi , ne multiplices verba , elongabitur enim à te Spiritus Dei. Nulli malo studeas , nec damnes quempiam. Fili mi cum superbis ne ambules , sed ambula cum humilibus. Fili mi ne sis hypocrita , aut dissimulator , multò minus mendax. Fili mi ne loquaris cum ira : sed sint verba tua cum scientia , & sapientia , similiter quoque silentium tuum ; quoniam verba sapientissimorum patrum nostrorum plena erant sapientiâ , & prudentiâ , vti silentium quoque ipsorum. Fili mi te ipsum coram hominibus ne iustifiques , sed penes te sapiens esto , mitis , longanimis , patiens , sollicitus , amator hominum. Cum fratre tuo contristare , & bonus esto illi particeps. Fili mi humiliis esto omnibus diebus vitæ tuæ , & optimis quibusque te apponito. De rebus malis ne interroges , sed lon-



gè fac viam tuam ab illis. Verba tua sint
cum dulcedine sine detrimento, quoniam
gloria, & contemptus sunt à verbis. Dili-
ge misericordiam. Indue fidem. Fili mi-
ne permittas cor tuum ita nequam esse , vt
vel cogitet malum, sed enitere illud bonum
reddere, & quare bonitatem , ac pacem,
& optima quæque æmulare opera. Vocem
tuam fili mi ne extollas. Cùm quempiam
adieris , sit timor Domini in corde tuo , &
ostuum custodi, vt redeas ad locum tuum
in pace. Apud superiorem tuum , & maio-
rem , verba ne multiplices. Fili mi patres
tuos spirituales dilige plusquam diligis pa-
tres tuos carnales , quoniam ipsi solliciti
sunt pro te propter Deum. Fili mi si in me-
dio federis fratrum , ne nimium loquaris,
& si quid ab illis postulaueris, breuiter cum
humilitate dicio illud. Fili mi si iniuriâ af-
fectus fueris , ne eam inferentem odio ha-
beas, sed dicio : Dignus quidem sum, qui
ab omnibus fratribus iniuriâ afficiar. Si
quis fratum ad te venerit aliquam ob rem,
te in omnibus demittito , & acquiesce illi
propter Deum , & ne superbiâ te efferas,
caue. Si autem constituerit te pater tuus ad
inseruendum infirmis, inserui ex toto cor-
de tuo , vt duplicem reportes mercedem à
Deo,



Deo, propter obedientiam scilicet, & seruitutem, quam præstitisti. Si quis te corripiet insontem peccati alicuius causâ, humilia te ipsum, ut coronam cōsequaris. Aures, ut malum audias, ne præbeas, sed esto amator hominum, & viues. Malum pro malo ne reddas, quemadmodum nec iniuriam pro iniuria; quoniam scriptum est: *Nisi te ipsum humiliaueris ipse, ego te humiliabo, dicit Dominus.* Fili mi superbiâ ne te efferas, neque gloriâris, neque vociferes, nec loquaris altius, velociterque, scriptum enim est: *Qui multiplicat verba, non est immunis à peccato.* Fili mi mortalium neminem odio habeas, sed omnes dilige ut te ipsum, quoniam scriptum est: *Dilige proximum tuum, ut te ipsum.* Fili mi memor semper esto illius, qui te bonâ instruit doctrinâ, & ab illo ediscas, fatage, præcepta, ut viuas, longâuamque produces vitam secundùm voluntaté Domini, vti scriptum est apud diuinum Paulum Apostolum. Hæc meditare, & in illis te occupa ipsum, vt acceptatio tua manifesta sit omnibus. Fili mi, paupertas, nihil aliud est, quâm continentia, atque esse contentum: peregrinatio autem & solitudo est, vt à turbis subtrahas te; peregrè verò proficiisci religionis ergo, religioso est

D



in cella residere. Fili mi , modicum aliquem laborem in cella tua exercendum tibi constituto ; & cor tuum humile sit: os verò semper loquatur veritatem. Fili mi dilige opprobria magis , quām honores, dilige labores corporis , quām requiem; dilige detrimentum rerum mundanarum, quām lucrum. O fidelis dilecte, dum obedientiæ subditus es, quod tibi dicitur, attende , & comprehendere, illudque iuxta eius exigentiam sedulò facito. Quum fideles tui similes conuenies, elige magis, vt audiás , obediasque , & quod tibi dicitur intelligas , & hoc est impendiò melius, quām loqui. Homo illecebrarum amator ad nullum opus bonus, aut aptus est. Si peccati labis expers es, loquere in nomine Domini, & instrue eos , quorum causâ blasphematur nomen Domini : & cum sint vt mortui, ac recisi à Domino , cura , vt recedant ab operibus suis , & gloriam consequantur , ac viuant. Fili mi ingens gloria est, vt operam des silentio , & Dominum imitētis nostrum , quem proptereà Herodes est demiratus. Fili mi , quodcumque voles aggredi , in quo Deum non cognoscis , ne facias, caue. Fili mi , sit anima tua cum Domino omni tempore ; corpus verò tuum



fit super terra imaginis instar , & simulacri. Fili mi , nulla maior est impietas, quām mōrorem cuiquam inferre , & se efferre super alios. Fili mi , lingua tua sequatur intellectum tuum , quoniam verba intelligentiæ expertia spinæ sunt , & aristæ. Fili mi , nihil cuiquam proponas , aut doceas, antequam ipse opere compleueris illud. Pensita opera Dei , & illum orare, ne te pigeat , quia oratio pigri verba sunt otiosa. Ab hominibus mentis & consilij expertibus , adnitere , recedas. Si quæ opera virtutis edideris, ne te iactes , dicasque talia operatus sum , & feci , quoniam si iactaueris , te ea fecisse, minimè sapiens eris. Est dedecus etiam omnium maximum, aliis ea imperare , quæ ipse non præstauearis , nullam namque utilitatem capies ab opere alieno. Vir sapiens optimè nouit viam itineris sui , ideoque non festinat ad loquendum , sed quid sibi loquendum, audiendumve est , expendit : contra vir indisciplinatus concredita sibi arcana minimè seruat. Fili mi , ei , qui verba tua non percipit , ne proferas illa. Fili mi , omnes homines factibi amicos , sed non consiliarios. Ante omnia amicos experimento proba , nec omnes facias familiares , & si fa-

D ij.



cies omnes , ne omnibus fidas , quoniam mundus est confirmatus in dolo : sed vnum tibi elige fratrem timentem Dominum ; & adhaere Deo tantum tamquam filius Patri, quoniam omnes homines in dolum abierunt , exceptis paucis : terra autem iam completa est vanitatis , & laborum , atque mœrorum. Fili mi , si vitam dilexeris tranquillam , ne te admisceas illis , quorum studium in vanitatibus positum est : & si fortè te admiscueris , esto tanquam non admixtus. Filimi , si placere Deo desideras , Christum cole , & ipse liberabit te , atque vindicabit. De opere bono , quod facere intendis , ne loquaris omnino , sed facito illud. Voluptatum amator ne sis , quia voluptatum amatores Deus non exaudit. Defectus tuos nimis creuisse memento , & iuuentutem tuam iam transactam esse , & iamiam tempus adesse tui discessus , in quo rationem es redditurus tuorum operum; sciasque quòd ibi nec frater redimet fratrem , nec filium pater liberabit. Fili mi cellam tuam in carcerem tibi constitue, quia consummatum iam est internum , exterumque tuum , & iamiam dissolutio tua ab hoc mundo adest. In omnibus humilis esto , in habitu tuo , in vestimentis , in



sessione , statione , ambulatione , cubili , cel-
la , & suppellestili eius. In omni conuer-
satione tua assume tibi habitum pauper-
tatis , nec in sermonibus tuis gloriēris , nec
in laudationibus tuis , aut hymnis , & cùm
conuenies proximum tuum , verba tua ne
sint cum artificio. Fili mi , si laudauerint te
propter opera tua , ne gaudeas propterea ,
aut delecteris , sed ea cela quantum po-
tes , nec permittas cuiquam illorum facere
mentionem , & obnitere , ne laudēris ab
hominibus. Fili mi , quempiam citò ne
corripias , in hoc enim est casus tuus ; sed
memento anteà exitus tui ab hoc corpore ,
nec obliuiscaris æternæ damnationis me-
moriā : si ita enim feceris , in æternum
non peccabis : Patres autem nostri spiri-
tuales asseuerant , solitudinem aptiorem
locum esse meditationis memoriae mortis ,
& refugium à rebus corporeis. Fili mi , vi-
lloribus vtere cibis. Si irâ perculsus fueris ,
statim illam à te remoue procul , vt gau-
deas usque in finem ; & enixè precare iuu-
enes simul & senes , vt non permittant sibi
dominari iram. Fili mi , nihil aliud est for-
titudo , quam in veritate persistere , & resi-
stere hostibus ; quoniam cùm illis non ces-
seris , discedent , & non inuenientur am-

D iij



plius omnino. Fili mi , vir sapiens vultu ostendit sapientiam; sapiens igitur esto , & illorum , qui contra te obloquuntur , tuo silentio obstrue ora ; nec demireris , si quis de te malum obloquatur , quia hoc ex ope- re est pessimorum hostium , vt impedimen- tum opponant homini , ne apprehendat scientiam. Fili mi ab odio longe esto , & à concupiscentia ipse te ipsum vendica , si- mulque ab obscenis cogitationibus. Apo- stolus Ioannes , qui effectus est habitacu- lum sancti Spiritus , tribus comprehendit humanas voluptates sapientissimo illo af- serto : *Quoniam omne quod est in mundo , aut concupiscentia carnis est , aut concupiscentia oculorum , aut superbia mundi.* Concupiscen- tia carnis est ventris satietas ex copia va- riorum ciborum , quam necessariò sequitur immundities luxuriei. Concupiscentia ve- rò oculorum sunt materialia opera , in quo- rum perpetratione , aut effertur oculus , aut immundas ad cor emittit species. Su- perbia autem mundi est gloria illa , quæ nostris insidet mentibus ob caducas , va- nasque dignitates. Fili mi semina iustitiam , vt vita fructus metas. Adhibe fili mi scien- tiæ lumen , vt generationem consequaris iustorum , dum tempus est conquirendi



scientiam Domini. Fili cogitatio inanis gloriæ, caue, te seducat, dum tibi suggerit, quod requiem in solitudine nancisceris. Perfectio sanè certaminis tui, obedientia est, quoniam bonum est hoc homini, ut iugum Domini à iuuentute portet, & seruiat, obediatque, maxillam percutienti præbens, lætetur in opprobiis, ciborum tenuitate sit contentus, quapropter Dominus noster Iesus Christus haud illum destituet vñquam, quia bonus est, & adiutor animarum, quæ sustinent propter illum, ac ipsum quærunt, corroborabit enim eos donec in quiete confirmabuntur. Tu ergo Fili mi ita facias, ut habitare possis in tranquillitate solus, & fileas in quiete. Fili mi lætare in tribulationibus, quæ tibi eueniunt, has enim consequuntur frustus. In voluptatibus mundi ne delecteris fili mi, morieris enim morte pessimâ. Fili mi perpetuò euigila, ne seducaris, pigerque euadas, ac negligens, abiectusque sis in futuro sæculo, scriptum est enim: Væ negligentibus, quoniam appropinquit finis eorum, nec adest illis adiutor, nec spes salutis. Fili mi morere singulis diebus, ut viuas; quia quicunque timet Dominum viuet in æternum. Fili mi, quos pertulisti

D iiiij



propter virtutem , ne obliuiscaris labo-
rum , & piger fias , & negligas , ac erres in
vltima hora : sed Dominum dilige vsque in
finem , & misericordiam consequeris . Fili
mi , propter caducas res , ne recedas à Deo ,
sed quod pollicitus es tempore vchemen-
tiæ tui caloris , memento . Signaculi , sci-
licet habitus tui , quo mundatus es prius ,
satage , ne obliuiscaris ; sed lacrymarum
pœnitentiæ tuæ , quæ pro te fusæ sunt ,
memore esto , & festina recede à cogitatio-
nibus absconditis , ne palam tum seduca-
ris . Fili mi lectum tuum singulis noctibus
laua , & stratum tuum lacrymis tuis ma-
defacito , & humilia te coram Christo
Domino , vt peccata deleat tua , teque re-
nouet rursus , afferatque opem ad bona
opera absoluenda , & regnum demum
suum sempiternum in hereditatem tribuat
tibi ; quem decet laus , honor , gloria , san-
ctificatio , & adoratio , simul cum Patre op-
timo , & Spiritu sancto ex æternitate , nunc ,
& semper , & in sæcula sæculorum . Amen .

Laudes Deo semper.



EIVSDEM SS. PATRIS NOSTRI
S. ANTONII MAGNI ABBATIS
ADMONITIONES, ET DOCUMENTA
VARIA AD FILIOS SVOS
MONACHOS.

SI quis frater adierit te , tibique suas
aperuerit cogitationes , eas ne cuiquam
referes, caue, sed ora pro te , ac pro illo , vt
liberemini ambo. Si quis frater pronus te
rogauerit , vt illi opem feras , operare cum
illo totâ die illâ. Seniorum Monasterij , vt
benedictionem consequaris , omnino fata-
ge. Corripe , nec parcas , sed cum timore
Dei , nec accipias ciusquam personam ,
quisquis ille sit , & excommunicata cum ver-
bis veritatis. Vestimenta tua custodi , ne in-
cedas nudus in die iudicij. Patres Mono-
sterij , qui generant te in spiritu , fac , ad-
mirentur gloriam tuam in medio Sancto-
rum. Panem tuum cum quiete , tranqui-
llitate , & continentia comedere ; confessus
verò tuus , caue , sit modestus. Omnes co-
gitationes tuas ne sequaris. Sta in conspe-
ctu Domini cum rectitudine. Pulsante
campanâ ne pigreris statim adire Eccle-
siam. Cùm peregrè proficisceris , breui ad



Monasterium tuum reuertaris admitere,
vt orationibus tuis vacare valeas. Nego-
tia Ecclesiæ committantur viro fideli ; ti-
menti Deum. Si his addere quicquam vis
bonorum operum , facito , & perpetuas
gratias age Domino Iesu Christo, cui glo-
ria in æternum. Amen.

Eiusdem de submissione & pietate.

TIMOR Domini sit, oportet, semper
ante oculos nostros , itemque me-
moria mortis , & mundi odium , & decli-
nemus omne id , quod nobis affert re-
quiem carnis : vitam autem hanc parui-
ducamus, vt viuamus in Deo , qui repetet
à nobis in die iudicij, num esuriuimus , si-
tuuimus, nuditate laborauimus , contrista-
ti sumus , gemuimus ex profunditate cor-
dis nostri , & an nos meti ipsos examinaui-
mus, vtrum Deo simus digni. Incumba-
mus ergo mœrori , & tristitia , vt Deum
inueniamus , contemnamus carnem , ad
saluandas animas nostras.

Eiusdem.

Qui solitudinem incolit , requiem à
tribus certaminibus adipiscitur , ab auditu
nempe , disceptationibus , & visu corum,



quæ plagas cordi nostro infligunt.

Eiusdem.

Quicumque saluus esse vult, suam corpoream domum ne ingrediatur, nec eam, in qua peccauit, ciuitatem incolat: neque visitet parentes, aut proximos carnales; inde enim corruptio oritur animæ, & vita fructus deperduntur. Si te tradideris Deo, omnia eius serua mandata, & quod tibi præcipitur, id facito, nec abiicias illud, quia si illud abiicias, nequaquam priora tibi dimittuntur peccata; si vero illud præstiteris, certus esto, omnia tua priora peccata iam esse dimissa. Cum muliere ne comedas, nec cum puero familiaritatem contrahas omnino. Duo simul super eandem stœram ne dormiatis, nisi maxima cogerit necessitas, & ille, qui tecum dormit, sit vel pater tuus, vel frater, & tunc magno cum timore id facias. Quum dormis, ne manum tuam intrate repones, ne inscius pecces. Sanus ne soluas zonam tuam. Ne apprehendas manum proximi tui, nec genas tangas eius, minor sit, vel maior te. Tribus vini calicibus quartum ne addas, nisi propter magnum morbum aliquem. Diuinum præceptum ne violes.



humanam ob amicitiam. Ad ciuitatem, in
qua aliás peccasti in Deum , ne reuerta-
ris. Cultum religiosum ne remittas, ne ti-
bi id cedat in offendiculum & laqueum.
Studium naua Scripturarum lectioni, quæ
quidem ab immunditia eripient te. Se-
dens in cella tua laboribus manuum tua-
rum incumbito , nomen tamen Domini
Iesu ne dimittas à te , sed perpetuò in tua
versa mente , meditare in corde, lauda lin-
guâ, ac dicio : *Domine mi Iesu Christe mi-
serere mei.* Item : *Domine Iesu Christe mihi
tuam mittito opem.* Necnon : *Laudo te Domi-
ne mi Iesu Christe.* Elige tibi laborem , &
ipse cum ieiunio , oratione , & vigiliis , te
liberabit ab omnibus turpitudinibus, quia
labor corporis infert puritatem cordis : pu-
ritas verò cordis efficit , vt anima ferat fru-
ctus. Ne te reputes quicquam omnino, sed
vaca fletui pro peccato tuo. In quempiam
irascaris , caue , & omnibus ignosce. A-
page mendacium , quod à te Dei timorem
procul expellit. Malas cogitationes abs te
longè remoue , teque Deo trade, qui pro-
teget te dextrâ suâ. Ne aperias omnibus
cogitationes tuas , ne offendiculo sis fratri
tuo. Esto deditus labori manuum tuarum,
superueniet tibi timor Dei. Dilige humi-

litatem, proteget omnia peocata tua. Inobediens ne sis, quia eris instrumentum, & vas omnium malorum, & iniquitatum. Id fixum semper in corde habeas, ut obedias patri tuo, & habitabit in te timor Dei. Fratri tuo ne exprobres, et si videris illum omnium præceptorum reum, quia incides & ipse in manus inimicorum tuorum. Peccata, quæ olim perpetrasti, ne animo verses, ne renouentur in te, certusque esto, ea tibi condonata fuisse, cum te Deo tradideris, & pœnitentiæ, nec de hoc hæreas. Te doctum, sapientemve ne reputes, euanescit quippe labor tuus, & tua nauis inaniter cucurritset. Assuesce, ut tua dicat lingua in omnibus, semper, ac omni momento, fratribus omnibus, ipsique Deo altissimo, *Ignosce mihi*: quia si dices semper, *Ignosce mihi*, humilitatem conqueris. Quempiam ne damnes, ne recedat à te timor Dei, & incidas in manum inimicorum tuorum. Voluptatum, & lusuum tuorum, quibus tempore pigritiæ operam nauasti, ne memineris, nec verba de illis instituas, nec dicas: hoc feci, vel illud prætermisi, erunt namque hæc tibi in offendiculum. Dum in cella tua sedes, his operam da, lectioni nempe Scripturarum, sup-



plicationibus ad Deum , & operi manuum .
Passionum , quibus in mundo succubuisti ,
nec memor sis penitus , nec eorum cupi-
ditate iterum irretiaris , ne sint cordi tuo
offendiculum . Pœnitentiæ continuò va-
ca , ac sedulò , nec momento temporis pi-
grêris . A patre tuo , vt instruat te in iis ,
quæ ignoras , humiliter , & cum fletu po-
stula , nec te pudeat . Singulis diebus apud
te statue , quòd sola illa dies tibi supersit
in hoc mundo , & seruabis te à peccatis .
Humilitatem nihil aliud esse scias , quàm
vt omnes homines te excellentiores esse
reputes , ac pro certo in animo tuo habeas ,
te magis peccatis esse obnoxium ; caput-
que tuum demissum teneas , & lingua tua
prompta sit , vt dicas iniuriâ affidenti te :
Domine mi ignosce mihi ; meditatio verò tua
iugiter mors sit . De rebus mundanis ne lo-
quaris omnino , caue . Concupiscentias
tuas , & desideria tua ne adimpleas . Cor-
pus & illecebras eius odio habeto , quia re-
fertæ sunt malis . Desideria , & cupiditates
tuæ neminem defatigent , neminem oppu-
gnent , & si te falso quis redarguerit , ne ex-
candescas . Superbia longè propelle , & pro-
xiimum ac omnes homines te meliores re-
puta . Peccatum , quod commisisti , patrituo



spirituali ne cela. Respondendi impoten-
tem animum à te depone , nec malum
vel corde cogites in eum , qui te ad iram
prouocat , tuque ad iram ne properes . Ver-
ba inania ne effutias , sed nec effutientibus
aures præbeas , ne animo illa haurias . Ver-
ba tua sint memoria beneficiorum altissi-
mi Dei , tuque iugiter ab illo propitiatio-
nem expete . Facultatum cupiditatem , &
inobedientiam procul fuge ; sed multò ma-
gis gulam , ne concupiscentiis tuis illaquea-
ris : quia hæc timorem Dei à corde , & ve-
recundiam à vultu expellunt : suum stu-
diosum vilibus , ac sordidis cupiditatibus
subiiciunt , & mentem abalienant à Deo .
Ne glorieris , nec corde verses , aut verbis
iactes , dicasque : *Talia feci , & talia gessi ,*
nemini intuli incommodum , aut molestiam :
omnia enim hæc gloriam præ se ferunt
inanem , & ille , qui his est infectus , diabo-
lis , & spiritibus immundis est effectus do-
micilium . Vnam horam in die ad corpo-
ris refectionem , & sustentationem consti-
tue tibi , non quidem ad delectionem , &
subiice illud , atque defatiga multo labore .
Sæpius flecte genua , neue in hoc piger sis , ne
pessimâ moriaris morte . Corpus tuum ita
infirma , ut sit instar corporis iacentis in le-

cto propter morbum. Cogitationes tuæ circa diuina præcepta semper versentur, eaque adimplere totis iuribus stude, & illorum nihil prætermittas, ne fiet anima tua omnibus immunditiis habitaculum. Ne exprobres mortalium cuiquam, ne execratur Deus preces tuas. A lusu, & ioco plurimum caue. Scripturarum lectioni si continuam sedulamque nauaueris operam, & præcepta adimpleueris, Dei misericordia tibi præsto erit. Monachus in cella sedens ore obstructo, & immemor Dei, instar est dirutæ domus extra ciuitatem positæ omnibus semper plenæ sordibus, quia quicumque domus suæ fordes egerere vult, eò illas asportat. Orationes ante, ac postquam cum fratribus oraueris, semper in cella tua persoluito, nec piger in hoc sis. Lacrymis assiduè incumbe, miserebitur enim tui Deus, & cunctos tuos leuabit mœrores. Omnia mundana odio habeto, & amoueto à te, certusque esto, hæc verè nos longissimè à Deo propellere. Pusilli animi nesis, caue. Diligito labores, teque submittito omnibus, os occludito tuum, humilitatem consequeris; vera autem humilitas peccata omnia dimittit hominis. Quicunque autem hæc non seruauerit,

Deum



Deum prouocabit ad iram. Ego Antonius
veritatem tibi dico, præbe nunc igitur au-
res verbis meis, & reconde illa in corde
tuo, sciasque quod his sermonibus, & præ-
ceptis te Creatori trado, quæ si obseruaue-
ris, gaudebis cum omnibus Angelis, &
cunctos Spiritus malos in errore conficies.
Itaque si his operam nauabis, & ambulabis
in eis, Deus tecum erit, & Angeli eius te-
cum gradientur, & anima tua implebi-
tur aromatibus Sanctorum, & lumine bea-
torum splendebit vultus tuus, etisque sa-
crificium Deo sicut omnes Sancti, & oc-
curres Domino cum iubilo, & lætitia, au-
diesque vocem illam dicentem: *Optimè fer-
cisti serue bone fidelis, comperi te fidem in
modico, constituam te super multa, ingredere
in gaudium Domini tui, cui gloria semper in
sæculum. Amen.*

Eiusdem

Oportet, ut iunior Monachus de om-
ni gressu, quem graditur vel in sua cella,
& de omni gutta aquæ, quam bibit, se-
niores consulat. Siquidem quosdam ag-
nosco Monachos, qui ceciderunt, quia se
Deo placere existimabant. Quare si tibi
præceptum aliquid fuerit, quod Dei do-
mini nostri consontaneum sit præceptis,

E



illud seruare , & amplecti satagas : ut in
vobis adimpleatur dictum Apostoli : obe-
dite inuicem in charitate Christi. Secus , si no-
bis aliquid præceptum fuerit diuinis man-
datis oppositum ; tunc enim præcipienti di-
camus , oportet : *Quid magis consentaneum
nobis est , obedire Deo , an hominibus ?* Memo-
resque simus vocis Domini : *Oues mee non
sequentur alienum , sed illum fugient , quia non
nouerunt vocem illius.* Similiter cælestis Pau-
lus admonet & dicit : *Si nos , aut Angeli ,
aut quispiam alius annuncianerit vobis præter ea ,
quaæ annunciauimus vobis , anathema sit , nec
illum suscipiatis.*

Magna est virtus illius , qui quandiu vi-
vit , operatur & respicit quotidie vsque ad
vltimum spiritum , in sequentem Tentato-
rem. Deum deprecatus sum , vt mihi ostend-
eret præsidium Monachum ambiens ,
atque defendens ; & vidi Monachum ig-
neis circumdataum lampadibus , & Ange-
lorum multitudinem gladiis illum custo-
dientium vt pupillam oculi , & ecce vox
de cælo dicens : *Ne detis illi requiem , quan-
diu rectus vinit in hoc mundo.* Cum ergo hu-
iusmodi præsidium Monachum ambiens
vidissem , ingemui , ac dixi : O Antoni , hoc
totum datum est Monacho , & præualet



aduersus eum Diabolus , & cadit nihilo-
minus ? Et venit ad me vox à misericorde
Domino dicens : Neminem Diabolus ~~fr~~ de-
iicere potest , eiusmodi enim potestatem
non habet , quia veni humanitatem assum-
psi , & eius contriti potestatem : sed homo
ipse suâ cupiditate , & concupiscentiâ dis-
soluitur , & cadit . Dixi ego , an singulis
Monachis hæc sit data virtus ? Et ostendit
mihi plures Monachos hac præditos virtu-
te . Tunc exclamaui & dixi : Beatum est
genus humanum , & præsertim exercitus
Monachorum , cum habeant Dominum
tam misericordem , & ita amatorem ho-
minum . Quare de nostra salute simus soli-
citi , nec illam negligamus , ut regnum me-
teamur , cooperante gratiâ , & misericor-
diâ Domini nostri Iesu Christi , cui est laus
cum patre , & Spiritu sancto in sæculum .
Amen .

*Eiusdem de corporis motibus , & habentur eius
Epist. i.*

SCias , corpori inesse quemdam natura-
lem motū in eo ardenter ; sed is neq[ue]ta-
quam operatur , nisi animæ accesserit con-
sensus , nam corpori est admixtus tantum
mouetque : at nec obest , nec cogit . Inest

E ij



illi quoque aliis motus , qui exoritur ex requie , & mollitie corporis , nec non deliciis cibis , & potu , vnde calefit corpus , sanguis inflammatur , & mouet ad operandum . Hinc diuinus Apostolus Paulus ait : *Nolite ineberiari vino in quo est luxuria . Dominus quoque præcepit suis discipulis in sacro Euangelio dicens : Videte , & attendite , ne transmutentur corda vestra propter crapulam , & ebrietatem .* Est adhuc alius motus , qui excitatur in decertantes ab iniuria , & dæmonum astu . Sciamus ergo , tres esse calores corporales , vnum naturalem , duos verò alias accidentales , vnum ex ciborum , & potu copia , alterum à Dæmonibus excitatum . Nostrum ergo erit , eos vel amplecti , vel repellere , si volumus .

Eiusdem.

Tempus profectò erit aliquando , cùm homines insanient , & si quem viderint non insanientem , insurgent in illum dicentes : *Tu es utique insanus , quia non es similis illis .*

Eiusdem.

Principium omnium virtutum , & principium sapientiae est timor Domini .

Quemadmodum ingrediens lumen domum aliquam tenebrosam , expellit eius



tenebras , & illam illuminat : Ita si timor
Domini ingredietur cor hominis , eius ex-
pellit tenebras , virtutibus omnibus im-
buet , & sapientiā.

Quemadmodum superbia , & animi elati-
tio deiecerunt Diabolum ab altitudine ad
profundum ; ita humilitas , & mansuetu-
do hominem extollunt à terra ad cælum.

Quemadmodum , filij mei , pīscis extra
aquam eductus perit ; ita perit timor Do-
mini ex corde Monachi , si suā cellā va-
gans egredietur.

Opus præstantissimum omnium , quod
homo præstare potest , est , vt peccata sua
confiteatur coram Deo , suisque maiori-
bus , & semetipsum reprehendat , sitque
paratus occurrere omni tribulationi us-
que ad nouissimum Spiritum.

*Sancti Antonij Admonitionum , & Senten-
tiarum finis .*

70 EXPOSITIO SENTENTIARVM.

SANCTI ANTONII MAGNI

ABBATIS SENTENTIARVM

Quarundam Expositio facta à quodam sene post eius obitum efflagitantibus Monachis.

Interrogatio Monachorum.

QUOMODO est intelligendum illud S. Antonij Abbatis ad Discipulum suum Paulum simplicem, cum esset egreditus de mundo: *Si vis esse Monachus, vade ad Monasterium multorum fratrum, qui valcent sustinere infirmitatem tuam.*

Responsio Senis,

Ex hac re ediscimus, quod nos oporteat, suscipere senes infirmos, imbecillos, cæcos, & paralyticos, & diligere eos; isti enim cum gaudio, & bona voluntate sese virtutibus comparandis dederunt, et si suas infirmitates labores subire non possint. Hinc haud mediocri reprehensione digni sunt rectores illi, & superiores Monasteriorum, qui senes, & infirmos, et si virtutibus præclarissimos, non suscipiunt, suscipiunt verò libenti animo fortiores iuuenes propter rerum peragendarum administrationem, itinera confienda, ingressum, &



egressum , et si audaces sint , & impudentes. Hos interpres beatus acriter reprehendit in libro *de perfectione regiminis* dicens ; Isti suis Discipulis , ut in operibus virtutis pigri sint , permittunt , & ad opera corporalia , ac mundana impendiò solicitant ; illis verò , qui ad operam nauandam virtutibus religiosam amplexi sunt vitam , nullam concedunt ab operibus mundanis requiem , aut otium , sed continuò ad hæc eos urgunt , improperant , irrident , exproberant , redargunt , quod opus sibi commissum magnâ sedulitate non absolvuerint , siue id acciderit propter imbecillitatem , siue ob incuriam aliquando , quamquam alias millies fuerint solliciti , ac diligentes. Contra magnis eos celebrant laudibus , qui sedulam operam mundanis dant rebus , et si in virtutibus acquirendis sint pigerrimi. Quod sanè non ex virtute exoritur , sed à mundanis curiis prouenit ; quod autem omnium pessimum est , pigri sint isti , vel diligentes , eos ut seruos habent. Abbas autem Bemen dixit : *Si trium cœnobitarum unus est quietus optimus , alter infirmus gratias agens Deo , tertius verò bonâ voluntate infervit , omnes tres in eodem sunt opere.* His sanctus iste ostendere volebat , quod in Monasterio ,

E iiiij



72 EXPOSITIO SENTENTIARVM

vbi sunt multi congregati, ac cœnobitæ,
opus est, vt non sint fortes tantum ad mi-
nisteria obeunda, sed etiam & infirmos fra-
tres, & senes imbecillos, & fratres, qui per-
petuò silentium seruent, alioquin vanus est
omnis labor eorum.

Interrogatio.

Quam ob rem Abbas Antonius dixit
Paulo suo Discipulolo: *Vade sede in solitu-
dine, vt edicas certamina demonum?*

Responso.

Quoniam perfectio Monachi à regimi-
ne spirituali est: regimen verò spirituale
puritate cordis comparatur: puritas verò
cordis à regimine est intellectus; regimen
autem intellectus est oratio sine intermis-
sione. Certamen autem cum dæmonibus
sit cogitationibus, & phantasmatibus, ea
verò in solitudine, & quiete acriùs exci-
tantur.

Interrogatio.

Quid est quod dixit Abbas Antonius:
*Quemadmodum educti extra aquam pisces
emoriuntur, ita accidit Monacho quoque, si diu
morabitur extra cellam suam. Quomodo mo-
ritur Monachus, vt pisces?*

Responso.

Quoniam vita animæ est iugis Dei me-



ditatio , & dilectio , quæ potissimum vita est appellanda , animæ scilicet , & intellectus . Si ergo cunctabitur Monachus in urbibus , visu , & confabulationibus moritur priuatione spiritualis vitæ , quod abducitur à Deo , eumque obliuiscitur , & Christi amorem è suo corde depellit , quem multis sibi comparauerat laboribus , dum quiete fruebatur in cella . Relaxatur præterea in eo afflictionis amor , & sese dedet requiei , & concupiscentiis , & cordis conturbatur puritas ob specierum perturbatos motus , quæ egrediuntur , & ingrediuntur per sensus , qui sunt visus , auditus , verba , tactus , gustus , odoratus , ex quibus forte deducitur ad fornicationem , aliasque passiones , quæ verè sunt Monachi mors , & interitus . Benè igitur ait B. Antonius : *Quemadmodum moriuntur pisces in aridam extracti , ita moritur Monachus , qui extra cellam in ciuitatibus dedit .*

Interrogatio.

Dixit S. Abbas Antonius : *Qui solitudinem incolit à tribus liberatur certaminibus , scilicet verbis , visu , auditu , restatque illi duntaxat certamen cordis . expone nobis , quæ saepe verba hæc beati .*

Responsio.

Non quod pugna , quæ sit inquiete , &



solitudine minor sit certamine , quod
committitur cum fratribus mente distra-
ctis ob visum , auditum , & verba : sed his
ostendit , solitudinem incolentes carere
certaminibus sensuum , quibus alij vexan-
tur vltra certamina cordis , quæ illis dæmo-
nes inferunt . Hæc propter ad quietem se
conferebant patres , ne certamini cordis
accederent certamina visus , verborum , &
auditū . Quemadmodum enim cadunt
statim fratres illi , qui egrediuntur , & in-
grediuntur , si pugnæ cordis accesserit pu-
gna sensuum corporis : ita facilè quoque
cadent Monachi illi , qui in quiete degunt ,
& cordis solum vexantur certamine , si eis
sensuum corporis accesserit certamen .
Quod quidem satis exploratum est ex eo-
rum fratum facto , ad quos in quiete de-
gentes cum ingressæ essent mulieres , &
accessisset certamini cordis visus corporis ,
& species vultus euestigio superati sunt ab
arduo cordis certamine , atque cecide-
runt . Durius sanè , satiusque arduum , ac
vehemens est certamen sensuum animæ
aduersus eos , qui in quiete degunt , quam
certamen sensuum corporis . Quod qui-
dem satis notum est ex dictis beati Eu-
grij , quod scilicet per se , ac sine medio



carent dæmones cum Monachis illis, qui in solitudine degunt: aduersus eos vero, qui sunt in congregationibus, & perficiendis virtutibus dant operam, dissolutos fratres excitant, incitantque Dæmones; quibus nullus durior, amarior, aut fraudulenter est.

Interrogatio.

Quid illud significat, quod ait S. Abbas Antonius: Cella Monachi est fornax Babylonis locus trium puerorum; inter quos erat filius Dei: & est columna ignis ubi loquuntur est Deus cum Moysè?

Responsio.

Quemadmodum ignis facultates habet duas, alteram calidam comburentem: lucentem lætificantem alteram; ita perseverantia in cella duas habet difficultates, quarum una angit, & vexat tyrones in quiete, nimiò torpore, & certamine: altera vero perficit, & lætificat, redditque tranquillos, qui perfecti sunt in puritate cordis, & præteregressi sunt passiones, atque ad lucentes visiones peruenierunt. Eius autem, quod de tribus pueris, qui filium Dei inuenerunt, dixit, haec est ratio: Quemadmodum Ananias, Azarias, & Misaël cum Babylone iniesti essent in cami-



76 EXPOSITIO SENTENTIARVM

num ignis , & non sunt cremati , nec combuisti , sed Angelus missus est , qui corum soluit vincula , & libertauit ab igne (quem Angelum vocauit filium Dei Nabuchodonosor) ; ita fratribus tyronibus in solitudine degentibus difficilis est initio pugna passionum , quæ eis à Diabolis infertur , verùm minimè eos deserit gratia Domini nostri filij Dei auxilium , sed clam illos iuuisit , opitulatur , atque habitat cum ipsis secundùm dispositionem , ordinacionemque , passionibus superatis , & diabolis , & efficit , vt gratiam mereantur perfectæ caritatis , & gloriæ suæ lumen .

Interrogatio.

Quid est id , quod ait Abbas Antonius :
Non est retribuendum malum promalo , & si ad
hunc gradum adhuc non peruerterit Monachus ,
seruet silentium , & quietem . Quomodo ho-
mo ex quiete ad hoc peruenit gradum ?

Responso.

Frater infirmus , atque linguâ iniuriosus in fratrem suum , & odium erga illum corde fouens , si se se in cella continuerit , & abstinuerit ab hominum confabulationibus , & malas sedauerit cogitationes , ac orationibus iugiter , & sacrarum Scripturarum lectioni nauauerit operam , à gratia



inuisetur tranquillitatis, illuminabitur cor
illiis, & spiritu liber fiet, gaudebitque in
Deo. Etenim homo eiusmodi conspectus
cruce Domini, eius accenditur amore, &
osculata cruce, meditabitur illam Scriptu-
ram: *Ita dilexit Deus mundum, ut filium*
suum unigenitum tradiderit morti propter il-
lum. Hic profecto erga nos suum ostendit
Deus amorem, quia cum peccatores esse-
mus, Christus pro nobis mortuus est. Si er-
go non perpercit filio suo Deus, sed tradi-
dit illum pro nobis morti, & quidem tur-
pi illi morti crucis, quomodo omnia no-
bis cum illo non concedet, aut quicquam
aliorum denegabit nobis? Dilectio autem
Christi, eiusque caritas nos impulit, ut co-
gitemus, quod nos deceat minime viuere
desideriis nostris, sed illi, qui pro nobis
mortuus est: Et Iesum adspiciamus, qui
patientiae nobis initium, & exemplar fa-
etus est, ac mortem pro nobis sustinuit
crucis, infamiam passus, ac demum sedit
ad dextram Dei in excelsis. Igitur si com-
patiemur, conglorificabimus; & si sustine-
bimus, regnabimus cum illo. Hinc beatus
Paulus hortatur nos dicens: *Afficiamus, fra-*
tres, crucem Domini nostri. Hinc vide, quan-
tum pertulit pro peccatoribus, qui anima-



78 EXPOSITIO SENTENTIARVM

bus suis aduersarij sunt facti. Quare ne vos
pigeat, nec animæ dissoluantur vestræ ob
patientiam, angustiam, iniurias, oppro-
bria, & mortem, quæ eius propter amo-
rem perferuntur. Veniam deprecamini in
orationibus vestris pro persecuentibus vos,
quemadmodum deprecabatur Dominus
pro crucifigentibus dicens: *Pater dimitte
illis*: Beatus item Stephanus veniam à Do-
mino nostro petebat, atque orabat pro
lapidantibus dicens: *Domine ne computes illis
hoc peccatum*. Si autem hæc, & similia in-
ter quietem meditatus fuerit Monachus
in sua cella, corroborabitur, & cunctis in
Domino dominabitur passionibus: & non
solum neminem iniuriâ lacesset, aut cui-
piam indignabitur, vel malum pro malo
retribuet, sed magnopere gaudebit, &
honoris habebit loco, se opprobris & in-
iuriis affici. Ad hanc virtutem usque per-
uenit Monachus in cella sua ob quietem,
patientiam, & adimpletionem obseruan-
tiæ præceptorum Christi, quæ sunt ieiu-
nium, oratio, meditatio, & reliquæ virtu-
tes, quæ à quiete exoriuntur. Optimè igi-
tur dixit beatus Abbas Antonius: *Si Mo-
nachus continere non potest linguam suam ab
iniuriis, murmuratione, atque gula: neque à ta-*



lione cor continere valet , saltem quantum potis
est , quicci studeat , & silentio .

Interrogatio .

Profecti sunt fratres quidam aliquando ad Abbatem Antonium , & dixerunt illis : Da nobis praeceptum aliquod , ut seruiamus illud . Qui ait illis : Scriptum est in Euangelio : Si quis te percusserit super unam maxillam , verte illi alteram . Qui responderunt ei : Hoc nequaquam facere possumus . Tunc ait illis senex : si non potestis vertere alteram , sustine- te primam . Dixerunt ei : Neque hoc possumus facere . Quibus ait : Si neque hoc aliud potestis facere , saltem ne repercutiatis , qui vos percusserunt . Qui dixerunt : Neque hoc possumus fa- cere . Tunc venerabilis senex discipulo suo ait : Para fratribus istis cibi aliquid , quia ægro- tant . Quid hæc denotat sancti Patris sen- tentia ?

Responsio .

Cibo hic denotat opera fratrum , & se- niorum orationes , ac preces , idemque est , ac si dixisset : Si neque hæc , neque illa face- re potestis , oratione vobis opus est . Nam quemadmodum ægroti cibo egent pecu- lari dum ægrotant ob infirmitatem stomati- chi , qui quoscunque cibos sumere non est aptus : ita vobis , quibus cogitatio tam infir-



80 EXPOSITIO SENTENTIARVM

ma est, vt nec partem quidem præceptorum Domini nostri seruare valeatis; faintate, & curatione animarum vestiarum opus est, nempe orationibus patrum, qui hanc vobis impetrent precibus.

Interrogatio.

Dixit Sanctus Abbas Antonius: Vidi omnes Diaboli laqueos super terra structos, ingenuique ideo, & dixi: ut generi humano! quis poterit eripi ab ipsis? Et dixerunt mihi: humilitas saluat ab ipsis, nec ad illam pertingere valent. Quomodo vidit sanctus iste laqueos Diaboli, sensibiliter ne, an intellectualiter: & quinam sunt illi, qui dixerunt ipsi, humilitas saluat ab ipsis, nec ad illam pertingere valent?

Responso.

Abbas Macharius maior Ægyptius Discipulus Abbatis Antonij vidit quoque in deserto interiori Scithiæ omnes laqueos passionum, quos vidit eo tempore S. Abbas Antonius. vidit quippe Macharius Diabolos in similitudine duorum hominum, quorum unus perforatâ erat induitus veste, cui quædam diuersorum colorum crant inserta: alterius detritâ veste totum corpus circumamictum erat, habebatque reticulam quoddam ampullarum plenum,



num ; his accedebat alias , qui alis instar
operimenti congegebatur. Hos quidem
corporaliter oculis corporeis vidit Abbas
Macharius : Sanctus verò Antonius Abbas
oculo intellectùs vidit per modum visionis
omnes laqueos illos Diaboli , quos semper
Monachis struit , ac eos istis aucupari , ir-
retire , atque impedire obnititur ab itine-
re perficiendo in via virtutis , sicuti scri-
ptum est : *In via mea absconderunt mihi la-
queos , & funes extenderunt itineri meo.* Vi-
dit itaque omnes laqueos Diaboli super
terra structos eo modo , quo suos tendunt
feris venatores. Quod quidem videns ad-
miratus est , ac obstupuit ob multitudinem
cassium , & retium , quibus si semel capitur
fera , perdifficile euadere poterit ob an-
fas varias , & nexus multiplices. Abbatii
autem Antonio sese obtulerunt super ter-
ram omnium passionum corporis , & animæ
species , quibus Diaboli oppugnant Mo-
nachos , & vident sanctos Angelos , qui sibi
singulos passionum laqueos nominatim
ostendebant , ncmpe laqueum amoris ven-
tris , seu gulæ , amoris pecuniæ , amoris for-
nitionis , inanis gloriæ , superbiæ , & re-
liquarum passionum. Ostenderunt illi præ-
terea omnes artes , technas , ac astutias , qui-

F



bus hostes suos struunt laqueos, & insidias,
quibus impedianc fratres, illaqueent, re-
tardentque ab itinere magno amoris Dei.
Hæc cùm admiratus esset, & stupore per-
culsus, ingemuit, & fleuit dicens: *V& nobis
Monachis, quomodo possimus expediri, & sal-
uari ab omnibus his laqueis, quin capiamur?*
Dixerunt illi Angeli: *Humilitas ab his om-
nibus saluat, & qui illâ est præditus minimè ca-
det, aut illaqueabitur.* At non solâ humili-
tate superari passiones, & dæmones, di-
xerunt: *verùm alia quoque opera, & cer-
tamina vñâ cum humilitate requiruntur.*
Siquidem humilitas sola, ac per se nullius
est emolumenti: *opera verò sine humili-
tate nihil prosunt;* sunt enim absque illa,
caro terrâ salita, & non sale, adeoque faci-
lè fœtorem contrahit, & corruptitur.
Itaque opera corporalia, internum certa-
men intellectus, quies, oratio sine inter-
missione cum perfecta humilitate, cunctas
superant passiones, ac dæmones, nec ad
Monachum, his præditum, pertingere va-
lent, quemadmodum Angeli S. Antonio
Abbati dixerunt.

Interrogatio.

Dixit S. Antonius Abbas: *Si caruerimus
certamine, plurimum nobis timendum est, nos-*

que oportet valde humiliari coram Deo , quia
cum ipse bene agnoscat nostram infirmitatem,
nos proteget dextrâ suâ , & custodiet : at si su-
perbia efferamur , suam à nobis retrahet prote-
ctionem , & peribimus . Quisnam est huius
beati Sententiae sensus ?

Responsio.

Nos humiliari semper oportet , tam tem-
pore angustiarum , tribulationis , ac certa-
minum , quàm tempore pacis , & quietis
à certaminibus , etenim omni tempore hu-
militate nobis opus est . Quandoquidem
hæc tempore certaminis nobis præbet
opem , additque robur ad subeundum pa-
tientiæ pondus : tempore vero pacis , &
quietis à certaminibus , nos tuetur à super-
bia , & sustinet , ne cadamus . Et quidem
propter dissolutionem nostram , & obli-
uionem , quâ capimur Dei , humilitate sem-
per nobis opus est , vt nostrâ cognitâ in-
firmitate operam humilitati demus , & su-
perbiā amoliamur à nobis . Deus nam-
que , vt omni tempore angustiis prema-
mur , minimè vult : sed suâ interdum pie-
tate , & clementiâ nos protegit , cestare-
que facit à nobis certaminum passionum ,
& diabolorum crudelitatem . Si itaque
tempore pugnæ & certaminis ad humilita-

F ij



84 EXPOSITIO SENTENTIARVM

tem recurrimus propter pericula , & difficultates: tempore verò tranquillitatis , & securitatis à certaminibus Deum obliuiscimur , & efferimur superbiâ , suam prudâbio à nobis contrahet protectionem , & ruinâ ac desperatione peribimus. Nullum igitur tempus est , quo humilitate nobis opus non sit , quemadmodum omni loco , & omnibus in actionibus eâ omnino indigemus.

Interrogatio.

Quidam seniorum postulauit à Deo , vt illi ostenderet omnes Patres : qui autem eos omnes vidit præter S. Abbatem Antonium ; & dixit tunc ille , qui eos ipsi ostenderat : Vbi est Deus , ibi est Abbas Antonius . Quomodo vidit omnes Patres , & quare non vidit Abbatem Antonium ?

Responso.

Vel senioris intellectus in paradisum raptus est , & ibi vidit Patres , vel ipsi Patres venerunt ad illum , vel Angelus ostendit illos ipsi secundùm ordines visionum . Non est autem visus ei Abbas Antonius duabus de causis , tum propter magnitudinem honoris S. Abbatis Antonij , tum vt humiliaretur senior ille , & non efferretur superbiâ , quod vidisset omnes Patres .



Nam cā visione Patrum instruxit illum Deus, vt ippos imitaretur, eius adimplens petitionem. Quod verò non meruerit visionem Antonij, ratio fuit, vt appareret defectus senioris, quo euaderet superbiam, & humiliaretur.

Interrogatio.

Profectus est aliquando Abbas Amo-
nius virgo ad Abbatem Antonium, & di-
xit ei: *Video me habere plura opera, quām tu
habes, quomodo igitur magis euulgatum est no-
men tuum inter homines, quām meum?* Res-
pondit illi Antonius: *Quia diligo Deum, plus
quam tu. Quodnam est dicti huius propo-
situm?*

Responsio.

Nec Abbas Amonius suis gloriatus est profectò operibus, nec suā Abbas Antonius dilectione; sed eorum dicti id propositum fuit. Cūm sancti isti primi fuerint institutores regiminis Monachatūs, & incolatūs solitudinis, ab inuicem perquirere intendebant, & hoc omnibus aperire Mo-
nachis documentum, quod scilicet regi-
men intellectūs præstantius sit operibus corporis. Namque intellectūs regimen di-
rigit, extollitque Monachi mentem ad al-
tissima Dei amoris, nempe dignus effici-

F iij



tur visione manifestationis eius in lumine. Opera quidem corporalia Monachum à passionibus corporis vendicant , confirmant in virtutibus , robur afferunt ad expellendas concupiscentias , & corpori addunt puritatem. Certamen verò intellec-tūs mentem corroborat aduersus Diabolo-s , & cogitationes ab his subinductas , & puritatem reconciliat cordis , quod robur à dilectione acquirit , & dignum efficitur spirituali regimine. Nec omnis virtutibus prædicti , & diligentis Dominum , necesse est , famam inter homines diuulgari ; nam Abbas Paulus Princeps Eremitarum , & Monachorum primogenitus , quem Abbas Antonius Eliam Prophetam aliquando appellauit , aliquando Ioannem Baptistam , Paulum Apostolum aliquando , quandiu vixit , hominibus minimè innotuit , Verum , ut iam dixi , isti duo Patres perquirere voluerunt ab inuicem , nosque docere , quodnam regimen alio excelsius sit , corporale , an spirituale , quod est interius , latensque certamen mentis , & sine intermissione oratio , ac meditatio Dei ; quæ cùm consummata fuerint , eleuant intellec-tūm Monachi ad spiritale regimen , quod est spiritalis oratio , admiratio Dei , eius



visio , & Domini nostri Dei gloriae manifestatio , cui laus in sæcula sæculorum Amen.

Interrogatio.

Dixit S. Abbas Antonius , quod Deus non permittit Diabolo ardua bella inferre generationi huic , quia infirma est.

Responso.

Deus quidem huius miseretur generationis , quare eam plus nimio vrgeri à Diabolis minimè permittit , quia nos deficit calor caritatis , & amoris bonorum operum , ideoque remissius nos Diaboli oppugnant ob imbecillitatem nostram , & dissolutionem.

Interrogatio.

Quid est illud , quod dixit Abbas Antonius : *Nisi iumenti velaret oculos molitor , conuerteretur , & comedet mercedem suam . Similiter nos quoque dininâ sumus velati dispensatione , quia initio operamur bonum , quod non videmus , ne beatos nosipso habeamus , pereantque propter ea opera nostra ; ideoque aliquando in sordidas incidimus cogitationes solium , ut eas videntes nosmetipso reprehendamus . Haec autem sordide cogitationes , modici boni , quod operamur , sunt velamentum . Si quidem homo , qui semetipsum reprendit , suam*

F iiiij



88 EXPOSITIO SENTENTIARVM

mercedem nequaquam amittit. Expone nobis quid lucri est in hoc dicto.

Responso.

Id propter non merentur omnes Sancti videre visiones; neque quod operantur bonum, & paratas promissiones vident spiritualiter, etsi operibus, & virtutibus sint cumulatissimi. Et sanè non quòd Deus eorum non lātetur virtutibus, & operibus sibi complaceat: absit, vt optimus bonis seruatæ mercedis quicquam diminuat: sed id facit, ne superbiā efferantur, & virtus eorum pereat penitus, & paratis, seruatæ que eis priuentur bonis, ac alieni efficiantur à gratia Dei. Quamobrem etsi operatores sint, nauentque operam virtutibus, & eos seruet Deus, permittit tamen aliquando, vt eos corripiant dæmones, & iniiciant eis sordidas cogitationes, aut timorem, aut flagella, vt suam agnoscant imbecillitatem, & sibi semper caueant; nam quandiu in mundo superstites sunt, vita eorum versatilis est. Quemadmodum autem ipsorum operum scopus est meditatio boni, quod illis seruatum est pro ipsis operibus, & meditatio iugis operis ad acquisitionem boni: ita meditatio suorum defetuum, ac impotentiarum remouet illos à su-



perbia , & efficit , vt omne humilitatis me-
ditentur genus , caueantque sibi , ne suam
amittant virtutem eo tempore , quo du-
plex gaudium sunt consequuturi à Domi-
no nostro Iesu Christo in regno Cælorum
sine fine .

Interrogatio.

Venit Abbas Ellenius è Syria ad Abba-
tem Antonium , cui viso dixit Abbas An-
tonius : *Bene venias sidus matutinum , quod*
mane oritur. Cui respondit Abbas Ellenius :
Salve tu quoque columna luminis , que orbem
terrarum decorauit. *Quis est iste Ellenius ? &*
cur ita illum Beatus appellauit ?

Responsio.

Ellenius iste erat temporibus S. Antonij
Abbatis , & æqualis ipsi gradu , & operibus .
Hunc Constantinus Imperator victor lau-
dauit dicēs : *Gratias ago Domino Christo , quod*
tria diuina luminaria sint in diebus meis , scilicet
B. Abbas Antonius , Abbas Ellenius , & Abbas
Euchinus. Isti enim Monachos omnes , qui
eo tempore viuebant , notique erant , lon-
gè præcellebant . Eum autem appellauit
Abbas Antonius sidus matutinum ob ma-
gnum regimen ; quia quemadmodum ma-
tutinum sidus cætera sidera magnitudine ,
& lumine præcellit , ita Abbas Ellenius

90 EXPOSITIO SENTENTIARVM

præcellebat lumine gratiæ reliquos omnes
Monachos eius temporis. Volens autem il-
le quoque notum facere Abbatii Antonio,
quod minimè se lateret magnitudo eius
regiminis , & luminis gloria , appellauit
eum columnam lumiñis , quæ decorauit
orbem terrarum.

Interrogatio.

Dixit Abbas Antonius . Ideo non profici-
mus , quia gradum & ordinem nostrum mini-
mè cognoscimus , neque intelligimus , que ag-
gredimur , opera , sed sine labore virtutem con-
sequi volumus . Nam quoties videmus certami-
nis tentationem in loco ad quem vocati sumus ,
ad alium transmigramus , existimantes locum
esse aliquem , in quo non sit diabolus . Qui nouit
bellum , constanter in Deo decertat , quoniam
Dominus noster dixit : Utique regnum Dei in
vobis est . Quid significat his verbis ?

Reffponsio.

Eius verborum is sensus est . Quod sci-
licet transmigramus de loco in locum , ad
quærendum locum aliquem , in quo non sit
Diabolus . Cum verò videmus certaminis
tentationem eo etiam in loco , ad quem
nos contulimus , aliò concedimus . At qui
nouit bellum , ibi in Deo decertat , nec
alium quærit locum . Asserti autem illius



Domini nostri; *utique regnum Dei in vobis est*, is est sensus: quod nempe oporteat, ut nos Monachi, qui è mundo egressi sumus, & Crucem portauimus nostram iuxta Domini nostri præceptum, & vestigia eius sequuti sumus, in vno permaneamus loco, & de nostrarum animarum simus solliciti salute, ac cuncta sustineamus certamina. Propter Dei amorem, eiusque adimpletionem voluntatis, quæ in ipsius præceptorum obseruantia manifestatur, omnia nobis subeunda sunt certamina, tentacionesque, sint illæ à passionibus, siue à dæmonibus, siue à malis hominibus. Ne ergo ignari simus, quod isti impetiti bello saltent ut pulli sarcinæ ferendæ haud assueti, & ad alia contendant loca, existimantes se requiem nocturos à certaminibus, & solatium à cogitationibus transmigrando de vno in alium locum, & de vna in aliam regionem. Quamobrem persistamus in locis nostris, & si certamen, vel tentatio nos aggrediatur, iejunemus, oremus, genuflectamus, adoremus, nostra pulsemus pectora coram Cruce Domini nostri, & lacrimis, cordisque dolore postulemus opem ab illo, & salutem, quoniam omni tempore nobis adest, & in nobis habitat. Scriptum enim

92 EXPOSITIO SENTENTIARVM

est: Dominus est propè contritos corde, & humiles spiritu liberat. Dixit quoque Dominus noster. Regnum Dei intra vos est, id est in vobis habito. Regnum quippe Dei est Christus, (vt asserit sanctus Macharius) qui in nobis semper habitat. Beatus quoque Paulus ait: Nescitis, quia Christus habitat in vobis? Nec ille in nobis habitat duntaxat; sed nos quoque in illo manemus, vt ipse ait: Manete in me, & ego in vobis. Beatus item dixit Dauid: Esto mihi habitaculum, ad quod omni tempore ingrediar, & præcipe salutem meam. Si igitur in Deo habitamus, & nos item illi sumus habitaculum, Dominum nostrum ne relinquamus tempore tentationum, tribulationum, ac certaminum, & alio transmigrantes, solatium, & opem à regionibus, & locis queramus; sed in nostris maneamus locis, & postulemus à Domino inhabitante in nobis, vt nos vendicet, & auxilium feret. Ad hæc, Patribus nostris cogitationes aperiemus nostras, & ipsorum orationum opem imploremus. Sustinentes igitur in locis nostris ad saluatoris nostri semper confugiamus protectionem, & profectò victores nos efficiet in omnibus certaminibus nostris.

Interrogationum, & Responsonum Finis.



INTERROGATIONES QVÆDAM
 A DIVERSIS SANTISSIMO PATRI
 NOSTRO ABBATI ANTONIO FACTÆ,
 EIVS QVE AD EASDEM
 RESPONSIONES.

QVidam frater interrogauit Abbatem Antonium dicens : *Quid faciam, ut inueniam misericordiam apud Deum?* Respondit ei sanctus Senex, & dixit: *Quod tibi dico, hoc diligenter serua : Quocumque ieris Deum ante oculos semper ponito : quodcumque opus feceris, adhibe tibi testimonium ex Scripturis, & in quocumque habitaueris loco, persevera, nec inde citò migres. Hac tria serua, quiesces.*

Interrogauit aliquando Abbas Bemo Abbatem Antonium, quid sibi faciendum sit ad consequendam salutem ; cui respondit senex beatus : *In iustitia tua ne confidas, preteritorum peccatorum verè te pœnitentia, lingua, cor, & ventrem contine.*

Interrogauerunt eum quoque fratres dicentes : *Quo opere homo placere potest Deo?* Respondit : *Lex, & opus caritatis est bona voluntas, qua Deo perfectissimè placet. Hanc verò adimplat, qui Deum iugiter laudas*



mundis cogitationibus, quæ producunt memoriam Dei, & memoriam bonorum, quæ promisit, & nobiscum compleuit opere, & quam hac magna sint. Ex horum enim hac memoria exortitur in homine huiusmodi perpetua dilectio iuxta prescriptum illud. Dilige Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota virtute. Scriptum quoque est: sicut desiderat ceruus ad fontes aquarum; ita est desiderium animæ meæ ad te Domine. Hoc itaque opus, & hanc legem adimpleamus oportet Domino, ut de nobis dictum illud Apostoli impleatur: Quid separare me poterit à charitate Christi? certè neque tribulationes, neque moerores, neque fames, neque nuditas, neque angustiæ, neque gladius, neque ignis.

Interrogatus, si quis dixerit: Non accipiam quicquam à fratribus, neque dabo eis quicquam, mihi autem mea sufficiunt; quomodo nosmet seruare debeamus ab re huiusmodi, Pater noster? Respondit: Filij mei, qui eiusmodi est, durus est corde, & animum ut Leo induit. Nam quomodo, qui est eiusmodi, vitam agere vult in hoc mundo absque misericordia. Itaque iste alienus censendus est ab omnibus bonis.

Interrogatus, Quomodo quis inservire.



debeat fratribus? Respondit: Fratres qui seruire volunt fratribus, seruiant ut serui Dominis suis, & quemadmodum seruinuit Dominus Petro principi Apostolorum, qui licet Dominus esset, & Creator illius, vilem prestiti tibi seruitutem. Quibus indicauit nobis Dominus, non minus inhumanos esse eos, qui seruitutem sibi exhibitam recusant, & nemini permitunt, ut eis inseruiat, uti se Petrus continebat, quam qui fratribus suis inseruire dedianuntur, quamobrem isti partem non habebunt cum Domino, ut Dominus Petro ait, quia ipse Dominus ut inuicem, ac mutuo seruiamus, nos docuit.

Interrogatus; quodnam sit gaudium propter Dominum, & quænam facienda nobis sint, quibus consequamur vitam? Respondit. Preceptum quocunque opere compleatum cum gudio in gloriam Dei, illud est gaudium propter Dominum. Nam eius precepta exequentes, & adimplentes, gaudeamus oportet; contra, dum ea non perficiemus, contristandum nobis est. Quare letitiâ cordium nostrorum precepta exequi, satagamus, ut multo congratulemur in Domino: sed multum caueamus, ne dum gaudemus, superbiâ effaramur, sed confidamus in Domino.

Interrogatus; Nobis ridendum ne est



vñquam? Respondit: Dominus noster dama-
nat ridentes dum dicit: plorabitis, & flebi-
tis, mundus verò gaudebit; fidei ergo Mo-
nacho non est ridendum. Nam ploremus opor-
tet super eos, qui blasphemant contra Deum
eius transgredientes Legem, & super eos, qui
in peccatis patrandis tot am suam transigunt vi-
tam; fleamus, & ploremus, Deumque ingiter de-
precemur, ne in peccatis perseverent, & com-
prehendat illos mors ante pénitentiam.

Interrogauerunt aliquando discipuli
quidam D. Antonium Abbatem, cùm vi-
derent in desertis innumerabilem illam
multitudinem Monachorum, virtutibus
omnibus, & sanctitatis operibus certatim
magno cum feroore studentem, atque di-
xerunt illi: Pater, diu ne permanurus est
hic feroor, & studium solitudinis, pauper-
tatis, humilitatis, caritatis, frugalitatis,
ac reliquarum omnium virtutum, quibus
infinita hæc prope modum Monachorum
multitudo operam nauat impensè? His non
sine suspicijs, & lachrymis vberrimis ita vir
Dei respondit: Tempus veniet aliquando, filij
mei dilectissimi, quum solitudines derelinquent
Monachi, earumque loco opulentiores appetent
Civitates, ibique pro his deserti speluncis, ac cel-
ulis superba excitabunt adicia certatum, re-
gum



gum exultantia palatia : pro paupertate diuinarium cumulandarum studium gliscet : humilitas in superbiam vertetur cordis , inflabuntur scientia multi , sed bonis , secundum scientiam , nudis operibus : charitas deferueret , cresceret pro frugalitate amor ventris , & delicatioribus cibis non minus eorum plures operam nauabunt , quam mundani ipse , à quibus religiosi illi alio nihil distinguentur , quam habitu , & cucullo ; & cum sint in medio mundi , eos non pudebit falso nomine Monachos vocari , & solitarios . Gloriabuntur adhuc dicentes : Ego sum Pauli , & ego Apollo ; quasi verò tota religiositatis ratio in predecessorum consistat auctoritate , & non secus de suis Patribus gloriantur , ac de Abrahamo parente Iudaei . Inter hos ramen quidam erunt eo tempore longè nobis meliores , atque perfectiores , quia beatior ille est , qui potuit transgredi , & non est transgressus : facere mala , & non fecit , quam qui multorum bonorum trahitur exemplo ad bonum . Hinc Noë , Abrabe , & Loth , qui inter pessimos innocentem traduxerunt vitam satis superque , iustitia celebratur in Scripturis .

Conuenerunt aliquando Patres ad S. Abbatem Antonium , ut quænam virtutum omnium absolutissima esset , quæque Monachum ab omnibus hostis seruaret

G



laqueis, disquirerent; & eorum vnuſquif-
que ea quæ ſibi recta videbantur, dixit.
Quamobrem quidam iejunium, & vigilias
in oratione laudarunt, vt quæ dirigunt co-
gitationes, subtilem efficiunt intellectum,
& facilem reddunt homini ad Deum ac-
cessum. Alij paupertatem commendarunt,
& rerum terrenarum contemptum, ex quo
tranquillior, purior, ac liberior à mundanis
curis intellectus efficitur, adeoque fa-
cilior redditur illi ad Deum accessus. Non
nulli virtutem misericordiæ virtutum om-
nium prætantissimam eſſe volebant, quia
Dominus dicet misericordibus, vti polli-
citus eſt: *Venite benedicti Patris mei, poſſi-
dete regnum paratum vobis ante conſtitutionem
ſacculi.* Alij alia dixerunt; tum ait S. Abbas
Antonius: *Omnes, quas memorasti, virtutes
utillime ſunt, illisque querentibus Deum opus
eſt, & qui vehementi ad eum accedendi fla-
grant deſiderio, iis indigent omnino.* Verum
plures confeximus ſua dilaceraffe corpora ni-
micioiejunio, vigiliis, in ſolitudines ſeceſſu, item-
que maximam nauaffe operam laboribus, pau-
pertati, contemptui rerum mundanarum, vt
nec ea ſibi adſcicerent, quibus in dies opus eſt;
ſed omnia, que poſſidebant erogarunt in pau-
peres. Tamen poſt h.e.c omnia declinarunt ad



malum, & ceciderunt, ac priuati virtutibus illis omnibus, reprobri effecti sunt. Rei autem huius nulla profectò alia fuit causa, nisi quòd virtute discretionis, & prudentiae caruerint, eaque non sint usi. Hac namque illa est, quæ hominem per viam rectam incedere edocet, ac instruit, & ab obliqua declinare. Etenim si per regiam incesserimus viam, rapiemur nequaquam ab insidiatoribus dextra excessu abstinentia; neque ab insidiatoribus sinistra negligientia, incuria, & remissione. Discretio quippe oculus est animæ, & lucerna eius, quemadmodum oculus lucerna est corporis. Si autem oculus lucidus fuerit, corpus quoque totum lucidum erit: Si vero tenebrosus, totum etiam corpus tenebrosum erit, sicut in sacro Euangeliō Dominus dixit. Discretionē quidem peruestigat homo suas voluntates, dicta, factaque, & ab omnibus ipsi recedit, quæ à Deo amouent. Discretionē singulas se adorientes hostis fraudes protelat, & amolitur, & quæ bona sunt, discerit à malis. Liquido è sacrī literis id patet. Saul Rex Israel, cùm hac caruisset lucernā, intellectu obtenebratus est, nec percepit propterea quomodo obseruaret, quod dixerat illi Deus per lingnam Samuelis Prophete, & quòd victimarum oblatione id præstantius esset, hinc Deum ad iram eo pronocauit, quo ei placere

G ij



putabat, ideoque regno electus est. Apostolus discretionem magistrum, & rectricem vite nostræ appellat, iuxta illud Scriptura: Rectorem non habentes decidunt ut folium. Eadem Scriptura discretionem consilium quoque appellat, præcipitque, ne quicquam absque consilio peragatur, ut nec vel spiritualem potum latificantem cor hominis nobis bibere permittat absque consilio, cum dicat: Consilio perage quodcumque peragis. Et Consilio bibe vinum. Item nobis dicit Scriptura, quod quemadmodum ciuitatem minime munitam quicunque vult, ingreditur, & diripite eius thesauros; ita est homo, qui negotia sua absque consilio operatur.

Finis Interrogationum ad Sanctissimum
Patrem nostrum Abbatem Antonium,
& eius Responzionum, Orationes
illius sint nobiscum.

Bibliothek der
Deutschen
Morgenländischen
Gesellschaft



RELATA EX EODEM CODICE
DE BEATO ANTONIO ABBATE.

VENIT aliquando senior quidam ætate confessus, onagro insidens ad beatum Abbatem Antonium in desertum, quem cùm vidisset vir Dei Antonius, ait: *Maximum hic est volumen, sed an saluabitur, ignoror.* Tum accidit factum quoddam, & adimpta sunt verba beati.

Venerunt quoque aliquando fratres quidam ad locum Abbatis Antonij, ut illum consulerent de quibusdam phantasmibus, quæ videbant, atque interroga-
rent, an vera essent, vel à Diabolo. Iste asinum secum habebant, qui mortuus est in via. Cùm ergo peruenissent ad senem, ait illis: *Quomodo mortuus est asinus vester in via?* Qui dixerunt: Vnde nouisti hoc Pater no-
ster? Respondit: *Diaboli id mihi indicarunt.* Qui dixerunt: Nos quoque venimus de re huiusmodi interrogare, & consulere te; quoniam videmus phantasma, quæ ali-
quando vera dicere videntur, ideo time-
mus, ne decipiatur. Tunc sanctus senex,
æquo animo eos esse, hortatur, quia sunt à Diabolo, & congratulatus est ipsis. Dum

G iij



autem confabulabatur , vidit venatorem ferarum , & volens suam , fratrumque illorum solarianium , dixit illi : O venator po-ne sagittam in arcu tuo , & intende illum ; qui intendit . Cui ait Beatus : adhuc fortius intende . Respondit : Si intendero plusquam oportet , frangetur arcus . Tunc senex ait : Ita sunt opera Dei , quia si terminum trans-gressus fuerit homo , & oppresserit fratres , ci-tius frangentur , necesse igitur est , eis quando-que indulgere .

Fornicationis aliquando insimulatus ost frater quidam in suo Monasterio , qui egrediens inde venit ad locum Abbatis Antonij . Hunc subsequuti sunt fratres eius Monasterij , & eō venerunt , vt illum reducerent , sed acriter , & plūs æquo il-lum arguebant dicentes , talia , & talia perpetrasti ; ille verò nihil istorum se per-petrasse constanter respondebat . Dum hæc siebant , casu aderat Abbas Bebnudus , qui exemplum huiusmodi dixit illis . Vidi hominem in littore maris immersum in eceno vsque ad genua , & venientes qui-dam , vt illi opem inferrent , immerserunt illum vsque ad humeros . Audiens autem Abbas Antonius hoc dictum Abbatis Beb-nudi dixit : Hic est vir potens sanare , & sal-



uare animas. Quamobrem fratres verborum, quæ dixerant, pœnituit, & veniâ à fratre postulatâ, reduxerunt ad proprium Monasterium.

Accidit aliquando fratri cuidam tentatio in quodam Monasterio, qui inde propterea electus est. Hic in montem ad Abbatem Antonium perrexit, habitauitque ibi tempus aliquod, post quod remisit illum Beatus ad suum Monasterium, quem suscipere noluerunt, sed expulerunt rursus. Qui reuersus ad Abbatem Antonium dixit illi: Noluerunt me suscipere, Pater mi. Ille verò iterum remisit illum dicens fratribus: *Nauis naufragium passa est, & iacturam, & vix multo labore in portum ipsa nauis euasit, nunc quod saluatum est, vultis vos submergere?* Illi ergo cùm cognouissent, eum ab Abate Antonio fuisse remissum, statim susceperunt ipsum cum gaudio.

Tres seniores singulis annis semel profici sci solebant ad B. Abbatem Antonium, è quibus duo illum de suis cogitationibus, & animarum salute consulebant; tertius verò silebat perpetuò, & de nulla contabatur re. Post multum autem temporis ait illi Abbas Antonius: *Iamdiu ad me venis, & de nullare me interrogas?* Respondit:

G iiiij



Sufficit mihi Pater mi, te videre,

Quidam fratres ex Scithiæ solitudine profecti sunt ad S. Abbatem Antonium, & consensâ naui inuenerunt senem quendam ex Patribus, quem non cognoscebant, idem iter arripiuentem. Cùm ergo condescissent fratres in naui, de Patrum gestis verba facere exorsi sunt, & de Scripturis, ac operibus manuum conferebant. Senex verò ille hæc omnia tacens audiebat. Descendentes è naui cognouerunt senem illum eodem contendere itinere ad S. Abbatem Antonium. Cùm eò itaque peruenissent, & aspexisset eos S. Antonius, ait illis fratribus : *optimum comitem nacti estis hunc senem.* Et dixit Seni : *optimos comites nactus tu quoque es Pater.* Cui respondit senex : *Optimi quidem isti sunt, sed ipsorum dominus ianuâ caret, quare qui stabulum ingredi vult, & asinum soluere, & abducere, nullum habebit prohibentem.* Quibus senex inuuebat, eos obuia quæque linguis protulisse.

Fertur, fratrem quendam mundo contempto, omnia, quæ possidebat, modico ad proprias necessitates subleuandas retento, erogasse in pauperes, & ad S. Antonium se recepisse. Quem, cùm intuitus esset senex, & illum cognouisset, ait illi : *Si vis*



fieri Monachus , vade ad tale oppidum , eme carnes , subtiliter disseca , & exutus vestibus suspende e brachiis , & manibus , & hoc reuertere . Quod præstitit frater ille , ut senex præcepérat : sed en canes , aues , & crabrones illum circundant , & vulnera infligunt manibus . Cùm autem peruenisset ad senem , & interrogatus , an fecisset , quod illi præceperat , conqueri cœpit , ostendens vulnera sua . Cui Abbas Antonius ait : *Qui mundum contemnit , et si modicum retineat , ita euénit illi ; vulnerabitur enim à Diabolis , & certaminibus dilaceratus succumbet .*

Fertur de S. Abbatे Antonio , quod cùm in solitudine sedisset aliquando , & pusillanimitate , ac tædio affectus esset , atque tenebras ipsi obduxissent eius cogitationes , querelas fundere ad Deum cœpit , ac dicere : *Domine volo saluari , sed cogitationes meæ nequaquam mihi permittunt . Quid ergo faciam de passionibus meis , & quomodo saluabor ?* Et inde secedens paululum sedit alio in loco , & ecce videt hominem quendam totum occupatum in labore manuum suarum , qui tum surgebat relicto opere , orabat , iterumque reuertebatur ad opus , nempe palmarum contexenda folia , rursus surgebat , & orabat , & tum operi in-



cumbebat. Qui autem hæc faciebat , An-
gelus erat Dei immissus , vt animos adde-
ret Antonio , & excitaret ad fortitudi-
nem. Tunc ait ipsi Angelus ille : *Ita fac
Antoni & saluaberis.* Quibus auditis val-
de gauisus , & imitatus opus illius , salua-
tus est.

Fertur , iuuenem quendam Monachum
miraculum in via perpetrasse videntibus
senioribus quibusdam iter facientibus.
Miraculum autem huiusmodi fuit. Cum
ob nimiam lassitudinem itineris sederent
seniores quidam in via , præcepit iuuenis
ille Onagris , qui ibi propè pascebant , vt
venientes asportarent seniores illos ad lo-
ca sua , quod statim Onagri præstiterunt.
Quod seniores S. Abbatii Antonio , eò ap-
pulentes , indicarunt. Qui ait illis : *Vtique
comparatio Monachi huius penes me instar est
nauis omnibus onust.e bonis , sed an salua ad por-
tum appelle , nescio.* Post aliquod autem
temporis factum nescientibus S. Patris dis-
cipulis , ecce plorare senex , capillos euellere , & ingemere fortiter aggreditur. Cui
discipuli aiunt : *Quid Pater habes ?* Re-
pondit Senex : *Magna Ecclesiæ columna ceci-
dit hac horâ , nempe iuuenis ille , cui obedierant
Onagri : sed festinate ad illum , & quid rei acci-*



dit illi, videte. Profecti autem discipuli inuenierunt Monachum sedentem super stôrâ plorantem , ac gementem pro peccato , quod perpetrauerat. Qui cùm vidisset Discipulos Senis , ait illis: Rogate senem , quæso , vt mihi à Deo deprecetur decem dierum vitæ spatium , vt pœnitentiam agam. Sed ante quinque dies decessit.

Fertur S. Antonium perculsum aliquando profunditate iudiciorum Dei , eiusque dispensationum , orasse , atque dixisse : *Dominine , quomodo hominum quidam ad senectutem perueniunt , & decrepitam etatem , alij infantes moriuntur , & breui viuunt ? Et quomodo pauperes quidam sunt , alij vero diuites ? Et quomodo Tyranni , & oppressores prosperantur , ac ditantur , iusti vero confliquantur tribulationibus , & inopia ? Cùm autem diu pensitando laboraret , venit ad illum vox dicens . Antoni prospice tibi , & iudicia Dei ne peruestiges .*

Fertur S. Abbatem Antonium dixisse : *Vidi Spiritum Dei descendenter super tres personas ; super Abbatem Athanasium , & datus est ei Patriarchatus ; super Abbatem Pachomium , & datus est ei primatus Cœnobitarum ; super Abbatem Macharium , & data est ei gratia curationum .*

Finis.



SANCTISSIMI ANTONII ABBATIS
VITA, EX LIBRO INSCRIPTO.

Clausis ianuae Paradisi, de Monachorum gestis.

SANCTISSIMVS Antonius magnus fuit ex incolis Ægypti superioris, quæ vallis dicitur Ægyptiorum, cuius admirabilis extitit vita, atque satis longa, quare ex innumerabilibus paucas eius hîc recensēbimus virtutes.

Cùm itaque ex mortalium hac ipsius dececessisset vita parens, ad eum est ingressus, & contemplatus, plurimūque admiratus dixit: *Benedictum sit Domini Deinomen, etenim effigies hæc nullo immutata est modo, sed leuis illa duntaxat spiratio.* Tum contrectauit illum, atque ait: *Vbi est studium nunc tuum? vbi solertia? vbi magnanimitas? vbi mens? vbi consilium? omnia euaniisse mihi videntur.* *Vbi est illa congregandarum facultatum cura, & solicitude?* Omnia dereliquisti, omnibus cares. Proh maximum dolorem, proh multiplicem calamitatem! Cùm itaque nolens, & inuitus, ac omnibus carens ex hac decesseris vita, nonne mirum erit, si tua facta sequar, & vestigia? Tunc solâ hac breui cogitatione, meditationeque patrem inse-



pultum dereliquit Antonius, & quicquid
facultatum, seruorum, ancillarum, & pe-
cudum reliquerat ipsi parens, egressusque
est aberrans, ac fugiens extra mundum,
ne inuitus, & nolens inde decederet, ut
parens ipsius. Proficiscitur ergo vagans, do-
nec peruenit ad ripam fluminis vbi cœme-
terium est nactus propè magnam Sicomo-
rum, in quo habitauit non procul à ten-
toriis Arabum, qui ibi morabantur, vbi
summam dedit operam operibus religio-
nis, & perpetuo ieunio. Quadam autem
die, dum ex more religionis exercitiis ope-
ram nauabat, ecce mulier quædam ex Ara-
bibus specie pulchra ad ripam descendit
fluminis cum puellis suis, ut pedes suos la-
uaret. Quam cùm vestes suas extollentem,
& denudantem pèdes, sicuti fecerant &
puellæ, vidisset sanctus Antonius, oculos
per integrum temporis occlusit horam, do-
nec eas iam discessisse existimauit. At illæ
coperunt se lauare toto denudato corpo-
re, aquæ allextæ frigiditate, quæ diu eas
ibi detinuerat. Quam cùm adhuc se lauan-
tem cum puellis vidisset Antonius, dixit
illi : *Nonne te pudet mei mulier, cùm s̄m vir*
Monachus? Cui respondit mulier illa : *Tace*
homo, unde es Monachus? Si enim effes Mo-



nachus, esse in deserto interiori, hic enim minime suum figurunt Monachi domicilium. Quod cum audiisset Antonius verbum, nullum responsum dedit, sed plurimum demiratus est, quia haec tenus Monachos non viserat, nec rem audiuerat huiusmodi. Tunc sibi metuere dixit: Nequaquam profecto id verbum ab hac muliere est, sed est vox Angeli Dei reprehendentis me. Statim autem reliquo loco illo se fugâ contulit in solitudinem interiorem, ibique solitariam egit vitam: nondum enim haec tenus quisquam alius, nisi ipse, eam ingressus fuerat solitudinem. Quamobrem omnium primus ille extitit, qui instituit Monachatum, & solitudinem incolendam docuit: idemque primus fuit, qui institutum Monasticum ab ipsa Christi Domini accepit manu, & habitu Monastico, indumento humana-rum Angelorum, quo subiiciuntur hostes, exornatus est. Solitudo autem illa, in qua habitabat vir Dei, ab urbe Atpegia ditio-nis Aegypti itinere trium dierum distabat, ubi extruxerat sibi paruam cellam propè torrentem deserti, & ibi angelicam transi-gebat vitam. Eo tempore erat vir quidam secularis nobilis, ac diues, sed aetate pro-uectus, in urbe Atpegia, cuius fato con-



cesserat vxor, & ipse aliam duxerat pueram. Cum igitur is quadam die domum suam esset ingressus, comperit illam cum quodam seruorum concubentem, cui ait: *Felix tibi mulier is cedat, & tu quoque illi, cum eum preme elegisses.* Tunc accepto pallio egressus est aberrans per interius desertum, diuque peruagatus, donec casu ad S. Antonij appulit cellam. Cum autem pulsasset ianuam, & vidisset virum Dei, plurimum demiratus est, nondum enim viderat hactenùs huiusmodi habitus quempiam. Qui pronus super terram adorans eum salutauit, quem sanctus erigens solatus est, atque gauisus propter eum gaudio magno, & transegit apud illum quadraginta dies perfectæ religioni, & arduæ solitudini operam nauans. Quibus peractis diebus, ait illi Abbas Antonius: *Paule, confer te ad ingum montis, & morare ibi solus, ac solitudinis deliba saporem.* Qui Paulus præststit statim, quod præceperat illi S. Abbas Antonius, & fecit sibi locum instar cubilis ouis. Insequente autem die oblatus est S. Antonio homo quidam à dæmone obsessus, quem cum intuitus esset, dixit illis, qui eum adduxerant: *Ducite illum ad virum Dei Paulum, ut eum curet, ego quippe presta-*



re id nequeo. Quod fuit primum obedi-
tiae experimentum. Qui fecerunt iuxta
sancti mandatum, & obtulerunt obsessum
illum Paulo dicentes: Tuus preceptor Abbas
Antonius, ut hunc demonem ab hoc homine
eiicias, tibi mandat. Erat autem S. Paulus
vir simplicissimus, quare obsessum illum
extra montem eduxit (tempestas vero erat
calidissima, & sol vehementer ardebat,
ut ignis;) & ait: Diabole adiuro te, ut egredia-
ris ab hoc homine, ut precepit mihi magister
meus Antonius. Et loqui coepit aduersarius
diabolus per os obsessi hominis, & irride-
re, ac blasphemare dicens: Quis es tu? Quis
est magister tuus Antonius dolosus ille, simula-
tor, superbus, audax, mendax? Cui ait Pau-
lus: Ego dico tibi diabole egredere ab hoc
homine; & si non egredi eris cruciatibus
me torquebo. Et ascendit S. Paulus super
lapidem, astus autem ut ignis flagrabat &
accepto saxo, imposuit illud capit suu, &
dixit: Per Dominum Iesum Christum, &
per orationes magistri mei D. Abbatis An-
tonij, non desinam ita esse donec aut mor-
iar faciens obedientiam magistri mei, aut
egredi eris diabole, ut precepit magister
meus. Sic autem diu mansit, & sudor eius
ut pluia manabat, & effluiebat sanguis ex
ore,



ore , & naribus , adstantibus hominibus illis . Quod quidem videns Diabolus exclamauit altâ voce dicens : *Venia , venia , fuga , fuga ab hoc sene , qui adiurauit me per Deum sensu cordis sui : verè v̄sisti me tuā simplicitate.* His dictis , egressa est quædam Larua versicolor , quæ quadraginta cubitorum longitudinis caudam trahebat . Hæc omnia S. Antonium minimè latebant . Diabolus autem exclamauit dicens : Ne reputes ô Paulē , quòd effusione , & emanatione tui sanguinis , & sudoris sim egressus , sed oratio absentis Antonij me aduulit . Quod audiētes adstantes admirati sunt , & Deum benedixerunt .

Fertur etiam , quòd cùm deseruisset Antonius mundum , illumque fugisset , ac ingressus interius desertum , & aspexissent diaboli eius imaginem , dixeré : Vtique huius nos deterret hominis imago , timemusque ne nobis eueniat , quod nobis accidit cum eius parente Adamo . Quare coacti ad illum Diaboli , dicebant ei : o puer etate , & intellectu , quomodo ausus es ingredi regionem hanc nostram ? Etenim nullam humanam personam præter te hæc viderimus . Et cuncti coniunctis viribus aggressi sunt eum variis certaminibus . Ille autem

H



dicebat eis : O fortissimi , quid à me exigitis
imbecillo paupere ? & quæ est conditio mea , ut
conueniatis vos omnes aduersus me , cùm pul-
uis sim immundus , & quasi nihil , ac imbecil-
lior , quâm , vt cum minimo vestrûm congre-
diar ? Et sese humili prosternebat , ac dice-
bat : Domine adiuua me , & robora imbecillita-
tem , quia impotens quidem sum , ac infirmus
omnibus modis , virtute , robore , etate , & ope-
ribus . Miserere mei Domine propter misericor-
diam tuam , ad te enim configi . Domine mi-
ne derelinquas me , nec robur tribuas istis ,
qui me aliquid esse reputant . Domine tu scis ,
quod non valeam vel istorum resistere minimo .
Hanc diaboli orationem vitæ plenam au-
dientes , in fugam vertebantur , nec ad il-
lum accedere poterant . Princeps itaque
tenebrarum hæc demiratus , omnia coëgit
instrumenta lusuum , iocorum , gaudijs , læ-
tiarum , voluptatum , illecebrarum , & spe-
ctaculorum concupiscentiam mouentium ,
ac sancto spectanda obtulit . At ille nec mo-
mento quidé horæ Deum humiliter depre-
cari , omittebat sed continuò sese humili pro-
sternebat , ac dicebat : Comprehende me Do-
mine ope tuâ , & ne recedas ab imbecillitate mea .
& statim fugiebant ab eo Diaboli . Post hæc
coëgerunt aduersus eum omnia instrumen-



ta fornicationis, & voluptatum eius, omnesque species mulierum: at ille occubebat oculos, ac dicebat: *Demiror quomodo meam effertis conditionem, tantumque laboris impenditis meam molientes ruinam; ego autem tam infirmus sum, ac humilis, ut ne minimo quidem vestrum valeam resistere; recedite ergo a me infirmo, & paupere.* Et recedebant ab eo statim cogitationes diuinâ ope, eiusque nimiâ humilitate Diaboli comburebantur. Post hæc, omnia timorum, terrorum, formidinum, & suppliciorum instruxerunt aduersus eum instrumenta: ipse verò exclamabat dicens: *Domine comprehende me infirmum.* Sæpiùs impetum in illum faciebant, percutiebant, & ipsum trahebant, ut nulli manerent super cuti pili: aliquando verò pellis ipsa detrahebatur. Itaque triginta annorum spatio eo modo decertauit. Cùm autem vidisset Dominus noster Iesus Christus ingentem eius patientiam, & quantum perpessus esset, dedit ei venerabilem cucullum, qui est diadema Monachorum, & ait illi: *O Antoni hoc cucullo turbas rebellium fugabis: O Antoni hoc cucullo gratiam meam consequeris.* Beatus es, iterumque beatus, *O Antoni, nomen enim tuum magnum valde erit in finibus terræ, regnoque calo-*

H i)



rum. Tum ipse Dominus Iesus suâ sanctâ dextrâ induit illum cucullo , & triginta post annos dedit Habitum magnum, nem- pè stolam cælestem , & adnumeratus est certantibus , & robur certaminis hostium coram ipso effractum est.

Ferunt inter gesta S. Antonij vnicum regni heredem habuisse Regem Longo- bardorum , hic verò maniâ & Epilepsiâ graui corripiebatur. Quapropter omnes regni sui sapientes Rex coëgit , sed fru- stra , quia nemo potuit illi ferre opem ali- quam , aut curare. Quo tempore Antonij Ægyptij sanctitatis fama vbigentium di- uulgata erat , ad quem Rex suos destina- uit nuncios cum pretiosissimis muneribus. Qui cùm eò peruenissent , & obtulissent munera , nihil eorum accipere voluit An- tonius , nec est gauisus famæ celebritate, sed postquā alloquutus esset eos per inter- pretem, discipulo suo ait : *Quid mihi consulis fili mi , vadam , an maneam ?* Cui respondit: *Pater, si manseris tu es Abbas Antonius; si pro- fectus fueris , eris Antoninus.* Diligebat quip- pe eum discipulus ille plurimùm , ideo no- lebat ab illo auelli. Qui , *Antoninus esse volo ,* respondit [ei]. Eâ autem nocte preces per Monasterium fundi iussit , ac diuinæ vo-



luntati rem commendari , & aduectus est
in regionem Longobarborum , eò enim af-
portauit illum nubes virtute Domini no-
stri Iesu Christi. Cùmque ingressus esset
ciuitatem regis , sedit ante ianuam domūs
proregis , tamquam homo Monachus ad-
uena. Ingruente autem iam nocte , ec-
ce prorex in domum reuertitur suam , &
videns virum Dei hospitio illum excepit
humaniter. Cùm autem mensæ accubuiſ-
ſent en porca quædam , quæ in domo prore-
gis alebatur , & porcellos cæcos pepererat ,
& claudum vnum , acceptos catulos suos
ad sanctum irrumpit , & ante illum proiicit
eos , qui cum prorege Longobardicè lo-
quens ait : *Putasne solum regem sanitatem cu-
rrare filij ?* Tùm cruce obsignauit catulos il-
los , & expuit in oculis cæcorum , & sani-
tati reddidit eos. Quo viso ab adstantibus ,
facti sunt tamquā mortui , & gliscens fa-
ma ad regem vsque perlata est. Quò cùm
humiliter accersitus peruenisset , filium re-
gis sanitati restituit , atque ait : *Rex , audio
te nuncios misisse ad Antonium Aegyptium ,
improbum illum : & sanè frustra tuas impendi-
sti facultates , ac nuncios longo itineris labore
defatigasti , ideoque ad te misit me Deus. Post
hæc valedicto regi , reuersus est in Mona-*

H iii



sterium suum. Postridie autem adierunt eum nuncij , & dixerunt : *Veni nobiscum.* Qui respondit : *Precedite , ego vos insequar.* Qui fidem eius verbis adhibentes reuersi sunt ad sua, post magnos terrâ marique tam longi itineris perlato labores. Eò igitur apulentes , accipiunt filium regis iam fuisse curatum ab alio sancto. Et hæc quidem S. Antonij intentio erat , vt omnem gloriam , & superbiam à se procul remoueret. Atamen eius virtutes diu abditas noluit Deus , sed per totam Francorum regionem gestorum illius fama diuulgata est. Et admirati sunt nuncij quomodo vnâ nocte fuit translatus , loquutus Longobardicè , ac in sequente die respondit eis , & laudauerunt Deum,

F I N I S.

EIVSDEM SANCTISSIMI
 ANTONII ABBATIS VITA,
 VTI HABETVR IN MARTYRO-
 LOGIO ÆGYPTIO SVB DIE
 XXII MENSIS TVBE.

HAc die requieuit sanctus, iustus, stellæ deserti, & omnium Monachorum Pater magnus Antonius. Erat sanctus hic ex incolis Caman, quæ sita est ad partem australē Memphis, Christianis progenitus parentibus. Is viginti comple-tis annis sacro baptismate ablutus est. Post obitum parentum suorum infirmis, & pauperibus omnes suas erogauit facultates; & vnicam, quam habebat sororem, sacris virginibus tradidit. Religiosum cultum, & solitudinē apprimè amabat: nondum enim tunc promulgatum erat Monachatūs nomen; sed qui se in solitudinem conferre volebant, non longè secedebant à patria, ut religioso cultui operam nauarent, quem admodum præstitit initio magnus Antonius. Ibi oppugnabant eum Diaboli tor-pore, tædio, pigritiâ, & operibus peccati, inducebantque illi figuram mulieris veluti cum eo concubentis. Ille verò hæc om-

H iiiij



nia superrabat ope Domini Christi , quæ
 semper præsto illi erat. Post hæc quod-
 dam petuit monumentum , habitauitque
 ibi , maximopere religionis cultibus sese
 dedens. Loci occlusit ianuam , amici verò
 eum cibis inuisebant. Quod videntes dia-
 boli inuidiâ exarserunt , & irrumptentes in
 ipsum multis ; crudelibusque acceperunt
 flagellis , & iacentem humi reliquerunt.
 Venientes autem amici , & eo in statu illum
 reperientes in Ecclesiam asportauerunt,
 vbi sanitate eum donauit Deus. Qui in se
 reuersus præcepit eis , vt in priorem locum
 referretur. Hoc animaduertentes diaboli
 variis sub laruis , & phantasmatibus illi se-
 se obtulerunt , sub formis scilicet ferarum:
 vt luporum , leonum , draconum , serpen-
 tum , scorpionum , ac eiusmodi ; & singu-
 la istorum vim faciebant ad illum deper-
 dendum. Ipse verò deridebat , ac illu-
 debat eos dicens : *Si potestatem ullam habe-
 retis in me , unus vestrum satis esset.* Tunc
 autem instar fumi dissipabantur coram eo ,
 & liber à passionibus , atque temptationibus
 efficiebatur ; & dedit ei Deus auðitoritatem
 viðricem aduersùs Diabolos. Panem bis
 in anno conficiebat , & torrebat , vt me-
 lius conseruaretur. Neminem ad se ingre-



di permittebat , sed foris adstantes verba
excipiebant eius , qui eò aduentabant. Vi-
ginti annorum spatio sedulam inibi dedit
operam religiosis cultibus , & institutis.
Tum præcepit ipsi Dominus , vt proficuus
esset generi humano , & timorem Dei , ac
verum eius cultum edoceret eos. Quare in
Phaium profectus est , & qui inibi erant,
fratres confirmauit , & reuersus ad suum
Monasterium. Tempore persequutionis
Martyrum , martyrij consequendi coro-
nam , maximo desiderio flagrabat. Eam-
que ob causam Monasterio relicto Ale-
xandriam contendit , & ibi palam Chri-
stum est confessus , sed nemo tenuit illum.
Carcere inclusos pro nomine Christi so-
landos adibat. Cùm autem videret Præfe-
ctus , quàm parum sibi timeret Antonius,
edixit , vt nullus Monachus in publicum
prodire auderet. At ille se palam ei offe-
rebat , & alloquebatur , vt fortè irâ percis-
tus , tormentis illum subiiceret , & sic Mar-
tyrij consequeretur lauream : sed nec ver-
bo quidem virum Dei offendit , aut læsit,
quia in multorum vtilitatem ipsum Deus
conseruabat ; quamobrem diuinâ dispen-
satione suum repetiit Monasterium. Indu-
mentum ex pilis tunica erat. Toto vitæ



spatio nec aquâ quidem corpus lauit. Mo-
lestiâ affectus propter frequentiam illo-
rum , qui eò confluebant ad excipienda
eius documenta , annuente domino in de-
sertum interius se contulit. Eò profectus
est cùm Arabum quorundam comitatu-
trium dierum itinere per desertum , do-
nec inuenit aquam , & ibi constitit , Arabes
verò afferebant illi panem. Perplures erant
eo in deserto feroce feræ , quas eius preci-
bus inde expulit Deus , nec amplius in illud
desertum sunt reuersæ. Reuertebatur ali-
quando ad exterius Monasterium , & fra-
tres , qui ibi morabantur , inuisebat & conso-
labatur , tūm interius repetebat Monaste-
rium. Constantinopolim ad Constantinum
Magnum Imperatorē eius delata est fama ,
qui scripsit Antonio Epistolam , quâ illum
commendabat , ac vt pro se oraret Deum ,
enixè rogabat. Literis regis gauisī sunt fra-
tres , at non Antonius , qui nihil eas du-
xit , sed fratribus ait ; *Ecce habemus literas*
Regis regum , que nos quotidie admonent , &
nos nihil illas facimus , & regis terreni gau-
demus literis. Et vix quidem responsum da-
re voluit instantibus fratribus , & dicenti-
bus : *Hic Imperator est iustus , amator Ec-*
clesiæ. His adductus vix scripsit , & solatus



est eum , ac benedixit. Cùm aliquando tædio affectus esset, audiuit vocem sibi dicentem : egredere foras, vt videoas ; & cùm esset egressus , vidi Angelum stolâ indu-tum , & cingulo accinctum decussatim, qui formam referebat Pallij Monastici , & capiti eius cucullus , vt galea erat imposi-tus , & sic sedens folia contexebat palma-rum , tum surgebat ad orandum , iterum-que sedebat , & contexebat. Et venit ad illum vox dicens : *Ita fac Antoni, & quiesces.* Exinde autem assumpsit sibi habitum il-lum , qui est habitus Monasticus , operam-que item dedit palmarum contexendis fo-liis , nec amplius tædium perpessus est. De Ecclesiæ vastatione per hæreticos vatici-natus est , itemque de eius restituzione in pristinum statum. Vaticinatus quoque est de Monachis , eorum multitudine , & au-gmento , & quomodo vrbes inhabitaturi erant , relictis desertis. Vaticinatus etiam est de consummatione sæculi. Ipse Ma-charium habitu induit Monastico , & con-solatus , & quæ ei cumentura erant , prædi-xit ipsi. Profectus etiam ad magnum pa-trem B. Paulum , & curam gessit sepelien-di eius corpus , quod Athanasij inuoluit pallio. Suum descensem ad requiem insta-



re animaduertens Antonius , vt corpus suum absconderent , filii suis præcepit . Mandauit etiam , baculum suum dari Machario , vestem pelliceam Athanasio , & Serapioni pelliceam melotam . Humi itaque exstensus spiritum tradidit , & Angelorum , ac Sanctorum obuiam iuit , quem ad locum requiei asportauerunt . Corpus verò illius discipuli absconderunt , vt mandauerat ipsis , quia execrabatur eos , qui corpora Sanctorum , & Martyrum eo exponebant publicè ad aurum cogendum , ac propter solum lucrum , non autem venerationem . Vixit ad perfectam senectutem , nec immutatum est corpus eius , neque defecerunt vires , nec dentes exciderunt . Et profectus est ad Christum , quem dilexit . Eius Orationes & benedictiones nobiscum sint . Amen .

*Ex Martyrologio Maronitarum , sub die 17.
Januarij.*

HAc die commemoratio celebratur beatissimi Antonij magni Abbatis . Hic genere Ægyptius erat , quem ab ipsa infantia in Christiana religione , ac fide erudierunt parentes . Sub Diocletiano , &



Maximiano floruit , & protensa est eius
ætas ad Constantimum magnum religio-
fissimum Imperatorem usque. Operam de-
dit instituto Monastico , ac vitæ religiosæ,
tantumque præcessit omnes huius institu-
ti , vt cunctis Monachis tamquam exem-
plar imitandum proponeretur. Quod ve-
rò magis admirandum est , tametsi non
omnium primus institutum hoc Angelicæ
vitæ ipse esset aggressus , ab omnibus ta-
men vt primus dux , & auctor semper ha-
bitus est , quod ille solus ad eius summæ
perfectionis culmen peruenisset , vt fide-
lium omnium , ac vbiq' scripta re-
stantur , & vniuersalis affectus. Eius in-
præsens ad aures fidelium enarrare virtu-
tes , superfluum esset , cum nemo earum
sit ignarus. Hoc tamen vnum silentio non
est prætermittendum , quod scilicet cum
adhuc esset in corpore mortali , vidit af-
fensiones , & gradus animarum , necnon
Diabolos eas illaqueantes , quod non est
corporeæ naturæ facultatis , sed incorpo-
reæ. Quinque supra centum vixit annos ,
& migravit ad Dominum , cui gloria.
Amen.



MONACHO QVOMODO EST PSALLENDVM.

IVNIOR quidam Monachus, D. Antonij Abbatis discipulus, missus est aliquando à Magistro , vt Senem Monachum , virtutum celebrem famâ , inuiseret , qui cùm illum adiisset , atque salutasset , ait : *Quomodo vales Pater mi ? Pessimè* , respondit Senior. *Cur ? iunior inquit. Quia* , subdit Senior , trigesimus agitur iam annus , ex quo sum in hoc deserto religionis ergo , tamen toto hoc tempore orationes meæ sunt contrarie ; nam quotidie memetipsum orans maledico ; Deum , ne misereatur mei , precor ; & omnes demum preces meæ sunt mendacium , ac verba inania. *Quibus attinus verbis* Monachus ille iunior ait : *Quomodo haec Pater mi ? Quia* , respondit Senior , declino à mandatis Dei , tamen psallendo dico :

Psalm. 118. Maledictus , qui declinat à mandatis tuis.

Psalm. 58. Iniquitates perpetro , tum cantito . Ne miserearis omnibus , qui operantur iniquitatem.

Psalm. 5. Mendacia effutio , & oro Deum . Perdes omnes , qui loquuntur mendacium. Totus sum in cibis apparandis , & gula , crapula que deditus , &

Psalm. 101. impudenter coram Deo fundo : Oblitus sum comedere panem meum. Pigritiae ac somno satis indulgeo , & media fermè die decanto Deo :



Mediâ nocte surgo ad confitendum tibi. Psalm. 118.
 Sedulam requiei nauo operam, & incunde vite,
 laboremque refugio, atque psallo tūm: Laborauit Psalm. 6.
 in gemitu meo. Risui, leticie, ac omnibus
 mundanis illecebris impensè studeo, altâ tamen
 intono voce: Fuerunt mihi lacrymæ meæ pa- Psalm. 41.
 nes, die ac nocte. Cor meum in mundanis di-
 gitatibus, & honoribus captandis totum est in-
 fixum, & media ad metam semper meditatur,
 audacter nihilominus occino coram Deo: Medi- Psalm. 18.
 tatio cordis mei in conspectu tuo semper.
 Ieiuno ferè nunquam, aut raro, & impingua-
 tus, ac valeniissimus, effutio: Genua mea Psalm. 108.
 infirmata sunt à ieiunio. Superbiâ efferor, to-
 tusque scientiâ instar asini vtris sum inflatus,
 nullamque veris bonis operibus do operam, labo-
 res refugio, supplico tamen Deum: Vide hu- Psalm. 24.
 militatem meam & laborem meum, & di-
 mitte mihi vniuersa peccata mea. Cor meum
 ad diuina suscipienda, exequendaque Dei man-
 data nequaquam paratum est, psallo tamen:
 Paratum cor meum Deus, paratum cor Psalm. 107.
 meum. Cūm hac ergo ita sese habeant, nonne
 mihi timendum est, quod frustra stadium hoc cu-
 currisem, delusissim veritatem, & præmis lo-
 co meritus essem supplicia?

Ad hæc iunior ait Monachus: Pater mi-
 ista de seipso protulit David, non quidem de no-

De.3613

128

bis Monachis. Cui non sine suspīriis, & vberimis lacrymis respondit Senior ille: *Fili mi, certe nis̄ ea, qua olim verē de scipso cecinit Dauid, nunc nos etiam de nobis verē canamus, cūm ea in nostra occinamus persona, & iusdem verbis Deum alloquamur, mendacia effundimus, quia veritas est, ut verba respondeant factis, atque ita Orationes nostræ verba erunt inania. Imo non verba tantum inania, sed contra nos, ac verissimè illud de nobis prædicabitur Psalm. 108. eiusdem Dauidis: Et oratio eius fiat in peccatum. Item illud sapientis Salomonis. Oratio Prouerb. 28. eius erit execrabilis.*

FINIS.

Errata sic corrigē.

Pag. 37. lin. 16.	habitant	lege,	habitent.
54. 2.	sapientiam,		sapientiam.
57. 14	ciusquam,		cuiusquam.
64. 3.	iuribus,		viribus.
68. 1.	aluis,		alius.
72. 9.	discipulolo,		discipulo.
100. 2.	reſtricem,		reſtricem.
102. 2.	ſuam,		ſutum.
ibid. 13.	oſt,		eft.
105. 22.	fendens,		fcedens.

Excudebat
FRANCISCVS PREVVERAY.



D.9e3613

ULB Halle
000 880 914

3/1



